MASTER NEGATIVE NO. 91-80404-3

AUTHOR:

EMLEIN, FRIEDRICH

TITLE:

DE LOCIS QUOS EX CICERONIS...

PLACE:

KARLSRUHE

DATE:

1907

Master Negative #

91- 80404-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Emlein, Friedrich, 1886-
De locis quos ex Ciceronis orationibus in Institutionis oratoriae duodecim libris laudavit Quintilianus; dissertatio ... quam ... scripsit Fridericus Emlein ... Karlsruhe, Gutsch, 1907.
87 p. 22 cm.

Thesis. Heidelberg.

Vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35m REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12/27/91 INITIALS RD
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

De locis quos ex Ciceronis orationibus in Institutionis Oratoriae duodecim libris laudavit Quintilianus

Dissertatio philologica
quam
ad summos in philosophia honores
auctoritate amplissimi philosophorum ordinis
in universitate Ruperto-Carola Heidelbergensi
rite capessendos
scripsit

FRIDERICUS EMLEIN
Loerracensis

Karlsruhe
Hofbuchdruckerei Friedrich Gutsch
1907

Summus Romanorum orator, rhetor clarissimus; quam arte inter se coniuncti sunt; quam multa ex illo hausit hic! Multi multa Ciceronis verba afferunt auctores: inter quos primo loco commemorandus est Fabius Quintilianus. Qui non tam diu post Ciceronis aetatem vixit quam plurimi reliquorum, qui illius scripta perscrutatus est quam diligentissime, qui ingentem praebet locorum copiam ex Cicerone allatorum. Ac praecipue exempla sumpsit Fabius ex Cluent., Lig., Mil. (quam orationem ‚pulcherrimam' dicit IV 2,25, ‚nobilissimam' XI 3,47), Mur., Verr. V; post has commemorandae sunt orationes pro Caec., Cael., in Catil. I habitae (reliquae semel afferuntur), quibus accedunt Phil. II (ex qua una § duodecies respicitur; III, IV, VIII, IX, XI semel, reliquae nusquam commemorantur), Verr. act. sec. I et IV (nullus ex III; unus ex act. I et act. sec. II, paulo plures loci ex Div. in Caec. excitantur). Inveniuntur apud Quintilianum loci illi imprimis in Institutionis libris V, VIII, IX, pauciores in IV.

Quae cum ita sint, quid manifestius putares quam hos locos allatos iam diu atque eos summa diligentia comparatos esse cum codicibus C.? Attamen si orationum C. editiones perlegas, saepius quidem invenies adnotatum eandem vel aliam scripturam praebere Quintilianum; sed quisnam ordine ac via progressus huius testimonium ita in iudicium vocavit, ut vocari illud par erat, quis tanti aestimavit, quanti par erat aestimari? Quem auctorem ita neglexit etiam novissimus orationum editor, Clarkius, ut ad Catil. I 1,1, quem locum exempli gratia affero, post

alios ne adnotaverit quidem codicum Q. scripturam, qui ,consensus' praebent, cum ,concursus' exhibeant libri C. Sed profecto quantopere orationes illae indigent correctura, testimonio; quarum codices ut saepissime a ,correctoribus' vexati, — commemoro unam Sestianam — ita saepius — nomino or. pro Murena habitam — recentiores sunt libris Q. Exstant sane non pauci C. libri, qui pares sunt codicibus Q., exstant palimpsesti, qui antecedunt illis vetustate: verum iam sexto, iam quinto p. Chr. n. saeculo multis locis Ciceronis scripturam commutatam esse in codicibus C. videbimus. Magis quam orationum editores Quintiliani testimonia respexit multoque magis quam adhuc factum est in iudicium vocanda esse pronuntiavit F. Schoellius Mus. Rhen. LV p. 497: quo excitatus Hermannus Reederus, cum disputaret ,De codicibus in Ciceronis orationibus Caesarianis recte aestimandis' (Jenae 1906) ubi de testimoniis verba facit, quae in scriptorum Romanorum libris inveniuntur, primo loco ponit Quintiliani testimonia. Sed quamquam variis adductus causis[1]) ipse confitetur sine dubio illa ex puriore fonte quam quo nos utimur, hausta esse posse, in examinandis tamen singulis locis, qui in codicibus C. et Q. non prorsus consentiunt inter sese, Fabium saepius deteriorem quam meliorem praebere scripturam ostendere studet. Argumentis vero utitur, quae vereor ne saepius minime probanda sint. Primum quidem codicum C. auctoritati nimiam tribuit fidem, in quibus glossemata omnino credere non videtur. Atqui saepius occurrere ipso teste Quintiliano reici possunt huiusmodi glossemata, quae in C. codicibus inveniuntur.[2]) Accedit vero, quod in illis locis ad confirmandam C. librorum scripturam se satis fecisse opinatur, si argumenta, quibus Fabii scriptura comprobatur, reiecerit. Ita fit, ut saepius auctoritate codicum C. confisus sententiam verborum,

[1]) l. c. p. 15.

[2]) cf. Phil. II 26, 64; Cael. 26, 62; Rab. perd. 6, 18; Verr. V 2, 4.

ut apud rhetorem leguntur, non satis respiciat. Nam fundamento argumentationis utitur praeter codicum C. auctoritatem Fabii memoria vel potius deficiente Fabii memoria. Quod vero tam saepe affert atque effert Reederus argumenti loco rhetorem saepe ex memoria laudare Ciceronis verba, hac ipsa re fortasse contrarium efficitur atque efficere vult ille. Omnino vero, qui respexerit quot quantique loci a Fabio accuratissime laudentur, argumento illo nullo modo adhuc accurate fundato sed ficto atque fallaci non utetur pro fundamento, etsi fortasse hic vel illic ex examinato loco apparet Fabium de hac vel de illa voce errasse.

Atque adeo rhetoris memoria nititur, ut consulto aliquid omisisse illum vel adiecisse in mentem omnino non veniat ei. Quae enim loci verba ad rem, propter quam laudat illum, non pertinent, saepius omittit Quintilianus: cur non omitteret? Non raro loci allati facilius intellegendi causa vocem addit rhetor: quis vetabit? Quae omnia iniuria neglexit ille, in qua re praecipue offendimus illis locis, qui bis vel ter allati apud ipsum Quintilianum inter sese non consentiunt, cum in unoquoque loco, ubi Fabius aliquid omisit, quaerendum fuerit, cur illud omiserit. —

In librorum C. igitur scriptura comparanda cum Q. libris, ubi ex orationibus Ciceronis affert locum aliquem Fabius, operam studiumque nunc consumamus. Qua in re pertractanda praecipue id studui, ut tantam locorum copiam apte disponerem ita ut omnium locorum generum, sive multa verba afferuntur sive pauca sive singula etc., semper invenias satis multa exempla apte composita. Quae tam varia exemplorum genera si noveris, in unoquoque loco facilius iudicabis. Qua re commentationem ita institui, ut inter locos accurate laudatos eos primo ponerem loco, in quibus consentiunt codices Q. cum omnibus vel quibusdam libris C.: quos ipsos in tres divisi partes — modo omnia alicuius loci affert Fabius verba modo nonnulla omittit modo ea quae

affert verba sua verborum constructione complectitur —; altero loco eos, in quibus cum nullo codice C. consentiunt illi: in quibus locis eos, ubi dissensio ad ordinem verborum pertinet, distinxi ab illis, ubi ipsa verba non eadem sunt hic atque illic. Sequuntur loci minus accurate laudati, quibus eos adiunxi, ubi significat rhetor hunc vel illum orationum locum ipsis verbis non allatis. Indicem locorum adieci.

Relinquitur, ut commemorem praecipue eam orationum editionem me adhibuisse, quam confecit C. F. W. Muellerus; praeterea primum et sextum volumen Clarkii editionis mihi praesto fuit; ex antiquiorum editionum quibus usus sum numero affero recensionem illam alterius Orellianae a Baitero et Halmio institutae, in qua accuratissime collatae sunt variae codicum testiumque scripturae.

Inter eos vero, qui Institutionem ediderunt,[1]) imprimis Halmium commemoro, cum ex Meisteri editione multo minorem ferre liceat fructum; deinde novissimam

[1]) Ad ipsas editiones hoc quidem adnotare liceat mihi vix recte ad locos quosdam certam paragraphum ex orationibus allatam esse. Ac primum quidem num recte attulerint illi ad XI 1,19 et XI 3,97 orat. Arch. initium (quae oratio incipit ab his verbis ‚si quid est in me ingenii, iudices‘), dubito. Tradunt enim utroque loco codices Q:B ‚si iudices ingeni mei‘, cum ex deteriorum codicum scriptura Halmius Meisterusque praebeant ‚si quid est ingeni (Meisterus ‚ingenii‘) in me‘, ita ut Quintilianum verba illa non aliter legisse apud Ciceronem persuasum sit mihi, praesertim cum inde, quod neque priore neque posteriore loco secunda manus codicis Bg (b) diversam adnotavit scripturam, non iniuria conici posse videatur alteram codicum familiam, in qua A numerandus est (cf. Halmium in praef. VIII), prorsus idem exhibuisse atque B; eam vero scripturam, quae consentit cum initio orat. Arch., cuiusdam hominis manu in Q. codices illatam esse putaverim, qui cum hoc loco ipsum illud orationis initium comparaverit. Itaque ab illis verbis, quae tradunt B, non illam quam proposuerunt editores incipere orationem iudicabimus: immo ex alia oratione esse haec sumpta, quae in C. codicibus nullo loco exstant, atque fortasse ex initio orationis cuiusdam; neque enim offendet in huiusmodi orationis initio, qui comparaverit aliarum orationum initium, ut Rab. perd: ‚Etsi, Quirites . . . .‘ vel ad sen: ‚Si, patres conscripti,‘ quibus locis eodem modo post coniunctionem, quae dicitur, a qua incipit orator, ii nominantur, apud quos loquitur. Quod si non ex prima, sed ex alia orationis parte illa hausta esse putas, ipsius rhetoris verbis, qui dicit XI 3,97 ‚hoc modo coepisse Demosthenem credo . . . . sic formatam Ciceronis manum, cum diceret ‘si iudices . . . exiguum’,‘ neque comprobatur neque refutatur haec sententia.

Qua vero de causa Halmius in Institutionis contextu, Baiterus in apparatu critico ad orationem, item Meisterus omiserint vocem ‚iudices‘ nullo codice, ut videtur (cf. Spaldingium ad hunc locum) omissam, non intellego. —

Deinde disserendum erit de Inst. IV 2,67, ubi Meisterus Verr. II 30,73 commemorat et in contextu et in indice, Halmius in indice, non in contextu, cum ad hunc orationis locum illum Institutionis afferat Muellerus; ‚respondit quae ei visum est‘ praebet Quintilianus: ‚quae visa sunt . . . . respondit‘ legimus in libris C. Sed Ciceronis temporibus illam constructionem nondum usitatam fuisse Muellerus exemplis allatis demonstrat. At omnino Ciceronem non affert Fabius hoc loco. Itaque ne illud ‚ei‘ quidem, etsi inter voces ‚qu*ae*‘ et ‚*vi*sa‘ facile intercidere potuit, apud Ciceronem inserendum esse censeo, praesertim cum antecedat illic dativus ‚homini‘.

Erraverunt vero illi, quod ad Inst. XII 11,6 Cael. 4,10 attulerunt pro Cael. 4,9. —

Institutionis editionem, quam nobis nunc praebet Radermacherus, quin afferam, facere non possum, cuius editionis priore parte uti licuit mihi. —

I.

Consentiunt libri Q. cum omnibus vel quibusdam codicibus C.

a) Locus plene affertur, i. e. nullo vocabulo omisso.

1. Ex magno exemplorum numero, quae hoc loco sunt congerenda, gravissima primo loco commemoremus, scil. ea, quae maximam praebent verborum copiam.

Caec. 1,1 = Inst. IX 3,80.[1])
ib. 15,42 = Inst. VII 3,17.

[1]) Quod exhibent libri Q. ,in foro atque iudiciis', cum in codicibus C. inter voces ,atque' et ,iudiciis' insertum legamus ,in' exceptis libris *aγ*, in verbis ,*in* foro atque *in iu*diciis *in*pudentiae' facillime omitti potuisse a librariis illud ,in' quis non concedat? Nam quod habet Martianus Capella (de rhet. cap. XXXIX p. 479 H.) ,iudiciisque', haec verba ex Aquilae Romani libro (§ 18), quem de figuris sententiarum et elocutionis scripsit, hausta esse constat, qui, cum ipse praebeat illud ,in iudiciis', codicum Q. scripturam reicit.

Simili modo omittunt libri Q. vocem ,de' ante ,statu demovet' Inst. VII 3,17 = Caec. 15,42, quam exhibent illic libri C. Sed cum ablativo omnium verborum, quae ex ,demovere' ita pendent, semper adiecerit Cicero ,de' vel ,ex' (excepta voce ,locus' Planc. 53, Phil. IV 13), Q. librorum scripturam recte reiecerunt orationis editores.

Inst. V 10,92 (= Caec. 15,43) vero in Q. codicibus vocem ,togatorum', quam comparationis causa recte ex C. codicibus intulerunt editores — quam saepe orator opposuit inter se verba ,togatus' et ,armatus'; cf. Sest. 52, Marc. 24, dom. 99 — intercidisse minus mirum videbitur, si comparaveris duo verba ,ad*vocationem togatorum*'.

Item intercidit Inst. IX 2,45 (= Cat. I 8,19) in libris Q., ut in C. libris *a* (Clarkii utor siglis) inter ,optimu*m*' et ,*M*etellum'

Cat. I 1,3 = Inst. VIII 4,13.[1]) Alium cuiusdam vocis numerum praebent libri Q., alium plurimi codices C. Nam cum apud Quintilianum legamus ,caede atque in-

praenomen M.; idem libri Q. Inst. IX 3,71 (= Cat. I 11,27) litteras ,in' omittunt ante ,*m*issus in urbem', cum C. libri tradant ,non emissus ex urbe, sed *in*missus *in* urbem' — simili modo duo verba ,emittere' et ,inmittere' coniuncta leguntur Sest. 78: ,cum sicariis e carcere emissis ante lucem inmittas'.

Librariis porro fortasse etiam hoc imputabimus, quod Inst. V 11,16 omittunt codices Q. in illa virorum enumeratione ,aut C. Marius', scil. in huiusmodi verborum conexu: ,*aut* P. Nasica *aut* L. Opimius *aut* C. Marius *aut*', ut legimus Mil. 3,8. Quamquam res C. Marii proxima § fusius enarrat C. (quem locum huic eodem loco Q. anteponit)! Unde vix minus recte de additamento apud C. cogitaveris. Item librariis crimini tribuerim omissionem vocis ,civis', quae vox aptissima est hoc loco: effectam fortasse antecedentibus verbis ,*si sceleratos*', praesertim cum in reliquis quoque verbis describendis parum illos diligentes fuisse videamus.

Neque magis mirum est, quod Inst. V 14,3 (= Mil. 16,41) in codicibus Q. ,*quem imp*une' interciderunt post ,*quem* te*mp*ore' (cuius contrarium post ,alieno tempore' servarunt), Inst. V 11,11 (= Mur. 8,17) ,atque audaci*ssimo*' post ,improbi*ssimo*'.

Non casu, sed consilio Inst. IX 4,29 (= Phil. II 25,63), ubi omittunt libri Q. ,postridie', haec ipsa vox illo Institutionis loco nullo modo omittenda omissa videtur atque ea ab eiusmodi homine, qui enuntiatum, quod affertur, verbo ,vomere' aptissime claudi vocemque ,postridie' ad illius sententiam pertinere non posse putaret neque animum adverteret ad ea quae sequuntur: ubi rhetor verba facit de huius ipsius, quam etiam repetit, vocis collocatione.

Ceterum cum Caec. 1,1 = Inst. IX 3,80 codicis C: E scriptura, qui antiquiorem formam exhibet ,faciunda', confirmetur Aquilae et Martiani testimonio, Q. codices tradunt ,facienda' (Cf. Neue-Wag. III ^{3} p. 331 sqq.). Sed recte Muellerus post Klotzium, Baiterum ,faciundum' scripsit. Simili modo Phil. III 3,7 Muellerus Halmium secutus praetulit illam formam, quam ibi V tradit, cum b exhibeat ,facundum', quo loco ,faciendum' scribit Clarkius. Cf. etiam sequentem adn.

[1]) Quintilianus ex suae aetatis scribendi ratione tradit ,amplissimus', cum C. codex A contra ceteros libros C., qui consentiunt cum libris Q., exhibeat ,amplissumus': quam formam Muellerus in textum recipere non dubitavit (non item Clarkius). Saepius in C. codicibus *a*A (de A cf. Baiterum in Philol. XX

cend*io*', tradunt illi ,caede atque incend*iis*',[1]) quae scriptura confirmari videtur primum quidem ipsius Ciceronis verbis, qui, ut omnino saepius coniungit ,cae*dem*' et

p. 335 sqq.) servata sunt vestigia illius ,veterum' (cf. Inst. I 7,21) scripturae. Aliis vero locis scripsit Muellerus ,amplissimus' ut dom. 43; idem praebet § 19 ,opt*u*mum virum' ex codicum *a*A scriptura (non item Clarkius, qui semper i litteram praefert in his formis), contra Cluent. 77, ut unum afferam exemplum, ,virum opt*i*mum'; idem ,prox*u*mis' recepit § 14, ,exist*u*mas' ex A § 29, ubi non recepit ,pertimesc*u*nda'; item suo iure non recepit Cat. II 26 ,constit*uu*ndis', ,ag*u*ndis', ib § 27 ,viv*u*ndum', ,mori*u*ndum' (alias huiusmodi formas invenies apud J. Schmidtium [Wiener Studien, 1893 (15), pagg. 209—247: ,Das rythm. Element in Ciceros Reden'] p. 242 sqq.); ex quibus locis apparet eum, qui scripsit codicem A, sine dubio nimium favisse litterae u pro i positae, ita ut quam cautissime agendum sit de codicis A quod ad huiusmodi pertinet scripturas, auctoritate. Nihilominus hoc quidem loco codicis A scripturam haud minus recte recepit Muellerus quam Verr. V 44,117 ,nobiliss*u*mus', quam ibi tradunt quidam libri C., non Q., et Caec. 15,42 ,rec*u*peratores' ex T pal., cum Inst. VII 3,17 tradant ,rec*i*peratores' libri Q.

[1]) Comparemus cum hoc loco Cluent. 52,143 = Inst. V 13,47, ubi contra omnes C. libros, qui pluralem numerum tradunt ,adversarios', exhibent Q. codices ,adversarium'; neminem alium enim designat orator nisi Attium. In codicibus C. vero librarii propter pluralem numerum vocis ,amic*os*' ,adversari*os*' scripserunt pro ,adversarium'.

Eandem manum librarii diversos numeros exaequantis reprehendere licet Mur. 1,1 = Inst. IX 4,107. Quintilianus hoc orationis initium tradit: ,Quod precatus', cum codices C. praebeant ,quae deprecatus'. Sed quoniam vox ,deprecatus', quae significat ,Fuerbitte einlegen fuer', ,um Gnade bitten fuer', prorsus inepta est hoc loco, cum veram vocem exhibeant codices Q., non mirum est etiam de priore voce hos praelatos esse ab editoribus velut Muellero, Landgrafio (qui tamen non recte putant codices Donati exhibere ,quod precatus'), praesertim cum etiam or. p. red. ad Quir. incipiat a verbis ,quod precatus'. Ad ipsum enim hoc orationis initium Fabius praecipue animum suum advertit, cum scriberet ,creticus et initiis optimus: „quod precatus ..... sum".' Sed sequuntur verba ,*ea*dem precor .....'. Clarkio igitur, qui de hac re C. codices secutus post alios priore atque posteriore loco pluralem scribit numerum, obstat gravissimum Fabii testimonium; Muellero vero et Landgrafio, qui duobus locis singularem prae-

,incen*dia*' velut Sest. 49, dom. 25, har. resp. 6, ib. 58, sen. 33, de illis hominibus dicit Cat. II 10 ,nihil cogitant nisi cae*dem*, nisi incen*dia*', ibid. ,qui .... eructant sermonibus suis cae*dem* bonorum atque urbis incen*dia*', Sull. 52 ,descriptio totam per urbem cae*dis* atque incendi*orum* constituta est', ib. 53 ,Cassius incen*diis*, Cethegus *caedi* praeponeretur ....'; qui Cat. I 6 Catilinam ita monet ,obliviscere cae*dis* atque incendi*orum*'; deinde Quintiliani quoque verbis, qui postquam attulit haec verba, addit ,hic et Catilina Graccho .... et mediocris labefactatio caedi atque incen*diis* et vastationi ..... comparatur'. Sed quod ad *hoc Fabii* pertinet, rhetor quidem ut, postquam attulit ,orbem terr*ae*' ipse dicit ,status rei publicae orbi terr*arum*', ita postquam attulit ,incen*dio*', suo iure de ,incen*diis*' locutus est: nam orbis terrae incendium ex multis incendiis constat. Itaque *illis verbis* hoc opponemus: cum recte sane orator saepe de ,incen*diis*' dicat, aptius tamen dici totum orbem terrae caede (scil. tamquam una ingenti caede) atque incen*dio* (scil. tamquam uno ingenti incendio) vastari quam incend*iis* (scil. tamquam singulis atque disiectis incendiis); de totius orbis incendio agitur. Cum igitur in huiusmodi locis in singulari numero maiorem vim inesse quam in plurali manifestum sit (cf. Cat. IV 4, Sull. 19, Phil. XI 23), illam librorum Q. scripturam, quae consentit cum codice C: d, novissimos quoque editores reiecisse miror.

Cluent. 1,1 = Inst. IV 1,36; VIII 6,65; IX 4,68 et 92.[1]) Cum *Σs* exhibeant ,animum adverti', ceterorum

ferunt numerum, obstant C. codices utroque loco; sed omnino num opus est eundem numerum poni duobus locis? Minime. Immo ipsa diversitas numerorum genuina videtur esse, quam librarii ita corruperunt, ut initio orationis ,quae' scriberent superscriptum fortasse antea voci ,quod', ut responderent ,eadem precor' verbis ,quae precatus'.

[1]) Confirmatur plurimorum C. codicum scriptura Q. libris de hac re: quod ,iudicii Juniani' tradunt. Sed quoniam Fabii verba, qui IX 4,101 de clausula horum verborum dicit, non in-

librorum scriptura, qui praebent ‚animadverti‘, et Quintiliani tam saepe hoc Cluent. initium afferentis et Marii Victorini testimoniis tam praeclare confirmatur, ut Clarkium [1]) nihilominus scribere ‚animum adverti‘ valde sit mirum. Reicitur enim haec scriptura, quam aliis sane locis (cf. Tusc. III 48, ib. V 65) recte praetulerunt editores, etiam ipsius Fabii verbis, qui IX 4,68 dicit: ‚duo prima verba (scil. ‚animadverti iudices‘) et tria proxima . . . suos quasi numeros habent . . .‘

Cluent. 6,15 = Inst. IV 2,105.[2])

Cluent. 48,135 = Inst. V 13,33. ‚censorium‘ exhibent priore loco codices Q., quorum scriptura confirmatur C. codicibus Σa, cum $M\mu$ praebeant ‚censorum‘.[3]) Recte editores illam praetulerunt velut Muellerus, Faussetius, Clarkius (non item Baiterus). Posteriore loco et libri C. et codices Q. praebent ‚censorum‘. Attamen Clarkius scribit ‚censorium‘ duobus locis oratorem eodem adiectivo usum esse ratus, quia Quintilianum sic scripsisse putat. Sed haec scriptura non est meliorum codicum Q., sed deteriorum (P). Omnino vero varietatem

tegra illic servata sunt, sequendus erit Zielinskius, qui Philol. Suppl. IX (‚Das Clauselgesetz in Ciceros Reden‘) p. 769 nonnullis exemplis allatis ex clausularum ratione contendit in huiusmodi substantivis non geminatam ponendam esse litteram i (cf. Neue-Wagen. I³ pagg. 148—154). Atque etiam in nominibus propriis non respicienda erunt grammaticorum praecepta, qui ex suo scribendi genere geminatam litteram i praeferunt (cf. Brambachium: ‚Neugestaltung der lat. Orthographie‘, p. 190 sqq.), fortasse ne inscriptiones quidem, in quibus geminatae litterae i formae non inveniuntur ante Tiberii aetatem (cf. Ritschelium: ‚Die tessarae gladiatoriae der Roemer‘, opusc. IV p. 624, mus. Rhen. 22 p. 601), immo clausularum ratio (cf. Zielinskium l. c. p. 769 sqq.).

[1]) cf. Anecd. Oxon., Class. Ser., p. X, praef. XXI.

[2]) Recte ‚causam‘, quod post ‚hanc‘ a librariis insertum praebent codices C: *a* a (post ‚unam‘ b²), reiecerunt editores. Q. vero codices meliorem exhibere scripturam etiam de hac re, quod ‚nonne timuisse‘ praebent, cum M scribat ‚non me‘, *a* a ‚timuisti‘, consentiunt inter se editores velut Muellerus, Faussetius, Clarkius.

[3]) Similia collegit Muellerus ad hunc locum. Cf. etiam Faussetii ad h. l. adn.

potius dicendi probemus confirmatam et libris Q. et nonnullis C. codicibus.

Cum autem codices Q. omnes ‚eiecissent‘ tradant, C. libri exhibent ‚eicerent‘ accommodatum, ut videtur, tempori verborum ‚subscripserunt‘, ‚eiecerunt‘, ‚exheredavit‘, ‚retinuerunt‘. Nonne varietatem praeferemus temporis? [1])

Mil. 1,1 = Inst. XI 3,47 sqq. Ipso consensu codicum Q. et C. librorum *TE* reicitur Clarkii scriptura, qui in posteriore sua Milonianae editione contra ceteros editores nostrae aetatis Orellium secutus ‚veterem‘ ponit ante ‚consuetudinem‘ confisus auctoritate *H* libri, quocum δ et *B* [2]) consentiunt. Sed etsi concedendum est Luterbachero, qui item hanc praefert scripturam,[3]) non ineptum esse additum illud ‚veterem‘, mirum tamen esset, si Fabius, qui totum Mil. initium accuratissime affert, hoc verbum omisisset. Sed accedit codicum Q. et quorundam C. librorum consensus, quo etiam Madvigius [4]) adductus est, ut Fabii probaret scripturam. Facile vero in huiusmodi verborum conexu ‚veterem‘ inferri potuisse

[1]) Saepius Q. libri aptius servarunt tempus, velut Inst. VIII 3,22 = Cael. 15,36, ubi verbis ‚tecum semper . . . .‘ certe melius respondet Fabii illud ‚cubita*bat*‘, quocum quodam modo consentit Julius Victor, qui (p. 435 H.) praebet ‚cum . . . cubitaret‘, quam codicum C. illud ‚cubita*vit*‘. Recte igitur Clarkius Fabii praetulit scripturam.

Item Lig. 3,10 = Inst. VIII 5,10 illud ‚acuet‘, quod praebent α et Quintilianus, post Muellerum praetulerunt novissimi editores, cum ‚acuit‘ exhibeat β classis confirmatum quidem Diomedis testimonio, accommodatum fortasse, ut Reederus (l. c. p. 21) putat praesenti tempori verbi ‚est‘. Multo vero aptius esse in hac interrogatione futurum tempus quam praesens recte sensit Beneckeus (vide Sold. edit. Lig. p. 75), iudicat post alios Reederus (l. c. p. 21).

[2]) B = Excerpta Montepolitiana, de quibus cf. Clarkium in Anecd. Oxon., Class. Ser., P.X; de Mil. v. imprimis praef. X seqq. et p. 12 seqq.

[3]) Jahresberichte d. philol. Vereins zu Berlin, 1902, p. 118.

[4]) in opusc. acad.² p. 658 adn.

ex Diomedis testimonio apparet, qui, cum I 470,4 K. recte praebeat ,pristinum morem iud. req.', paulo tamen ante scribit I 466,19 K. ,veterem iudiciorum morem requirunt'.

Mil. 3,7 = Inst. V 11,12.[1])
Mil. 4,9 = Inst. V 11,15.[2])
Mur. 2,4 = Inst. V 11,23. Cum etiam Muellerus Landgrafiusque recipiant tritissimum illud ,quod natura fert', exquisitiora verba ,q. n. adfert' omnibus C. et Q. libris egregie confirmata post Klotzium recte recepit Clarkius.

Eodem Fabii testimonio apte confirmatur librorum C. *πφω* scriptura, qui praebent ,ingrediantur', cum indi-

[1]) Cum recte apud Muellerum legamus ,occisum esse fateatur', Clarkius scribit ,occisum fateatur', auctoritate deteriorum codicum confisus et Quint. IV 2,25; sed hic Quintiliani locus de hac re respiciendus non est, quia vix quidquam accurate affertur: immo locus V 11,12 solus fuit respiciendus, ubi exhibent codices ,occisum esse fateatur', scil. idem atque C. codices ET, cum HΣ (Σ = Paris. Lat. 14,749, de quo cf. Clarkium in Anecd. Oxon., quae commemoravi; de Σ Milonianae codice v. imprimis praef. p. XIII sqq., XXV sqq.; p. 52 sqq.) praebeant ,esse occisum'. Itaque vel per se vix probanda videtur Clarkii scriptura, quae fulcitur deterioribus modo C. codicibus, refutatur consensu codicum Q. et nonnullorum C. Sed accedit quod quae praeferenda sit scriptura, ex clausulae ratione dilucide apparet: ut Zielinskius (l. c. p. 799) quoque probat codicum ET scripturam, reicit heroicam clausulam, quam unus recepit Clarkius. Quo magis illam praeferemus, cum accedat Q. codicum testimonium.

[2]) Tradunt codices Q. ,ad*u*lescens', ex C. libris T idem, reliqui ,ad*o*lescens'. Si vero optimorum librorum C. scripturam comparaverimus, scribendum esse ,ad*u*lescens' Ellendtius ad Cic. de orat. 1,5 et Osannius ad Cic. de rep. I 23 p. 58 docuerunt. Quorum cum iudicio optime consentit Fabii scriptura, cuius optimi codices semper fere hanc praebent formam (velut II 2,14; VII 3,34; XI 1,32). Ceterum cf. de hac re Kellerum (Grammatische Aufsaetze, 1895) p. 108 sqq. —

Novakium autem verba ,cui vim adferebat' iniuria delere Luterbacherus l. c. (1902) p. 118 recte iudicavit: accedit Fabii testimonium.

cativum exhibeant *ΣAχψ*[1]) (similia collegit Muellerus ad Caec. 6); quo loco consensum illorum C. codicum librorumque Q. post alios recte probaverunt Muellerus, Landgrafius, Clarkius.[2])

Cum vero ex plurimis C. codicibus ,quo tandem me esse animo oportet' praebeant orationis editores, Q. codicum scriptura, qui praebent ,quo tandem me animo esse oportet', non modo gravior est, sed etiam sola respondet Ciceronis generi dicendi: cf. Verr. a. pr. 40 ,quo me tandem animo fore putatis', imp. Pomp. 11, ib. 16, Cluent. 29, prov. cons. 2, ib. 39, Planc. 78 etc.; atque confirmatur etiam duobus C. codicibus.

[1]) De eadem re agitur Caec. 15,44 = Inst. VII 3,29, ubi Quintilianus tradit ,conced*a*tis', libri C. exhibent ,conced*i*tis'. Sed quocunque loco tam est conspicua sententia adversativa, quam est hoc loco, apud Ciceronem quidem modum coniunctivum praeferre vix dubitabit, qui egregiam illam de huiusmodi constructionibus Halii (Die cum-Konstruktionen: Ihre Geschichte und ihre Funktionen von Will. Gardner Hale, uebersetzt von Neitzert, 1901) disputationem diligenter perlegerit, praecipue p. 117 sqq., 188 sqq., 216 etc. (cf. Draeger p. 743). Neque quisquam in clausula offendet, cum haec quoque forma — — — ⏖ saepissime inveniatur apud Ciceronem velut Caec. 43: ,videbitur movisse', ib. § 44 ,demonstrasse', ,armatorum' (cf. Zielinskium l. c. p. 729 sqq.). Huius vero formae — ⏑ — — ⏑ ⏖ exempla, quae haec praebet oratio, invenies apud Zielinskium l. c. p. 597 sqq.

Item coniunctivum praeferamus Verr. a. sec. I 42,109 = Inst. V 10,76, ubi apud Quintilianum legimus ,nascatur', cum C. libri exhibeant ,nascitur'. Est enim illa interrogationis forma multo lepidior; quo accedit, quod post indicativum ,adferunt' facile pro coniunctivo indicativus poni potuit.

[2]) Recte post Wesenbergii, cuius verba Halmius affert, disputationem plurimi recentiores atque recentissimi Mur. editores ex Quintiliano ,e' inseruerunt inter ,si' et ,solventibus', quam voculam omittunt libri C.

Quod vero codices Q: A b praebent ,praedicere' (A ,dic' in ras. m. 2.!) contra ipsos Q. libros B contraque C. codices, tam male confirmatae scripturae obstat etiam conexus verborum, quia, ut recte adnotat Landgrafius, verba ,summo studio' cum ,praedicere' ita coniuncta molesta sunt.

At praebent C. libri ,portu solventibus ei', libri Q. ,e portu solventibus': ubi ,e portu' dudum probatum est, ,ei' vero apud Q. non minus facile intercidere potuit, quam ,e' apud C.

Mur. 17,36 = Inst. VIII 3,80. Cum Muellerus[1]) in verbis ,nulla *ex* certa ratione obscura aliqua *ex* causa *ex*citantur' offendat neque tamen Quintilianum adhibeat, ubi aliam invenire potuit scripturam, Landgrafius Clarkiusque consensum secuti meliorum codicum C. omniumque Q. librorum recte ,concitantur' scripserunt.[2])

Consentiunt porro libri C. et Q. cum tradunt: ,obscura est' (Σ ,in est'), scil. ,tempestas commota'. Contra quem codicum consensum quod Clarkius ex Lambini coniectura, qui scripsit ,obscura est causa', praebet ,obscura causa est', ut prorsus respondeant haec verba praegressis ,obscura aliqua est causa', prorsus est supervacaneum, quia insequuntur verba ,ut *sine causa* excitata . . .'. Sic enim, ut exhibent codices Q. haec verba, scribendum esse, cum C. libri praebeant ,ut *casu* excitata . . .', vel inde apparet, quod sic rectissime verbis ,ut *tempestas* . . . certo . . . *signo commoventur*, *saepe* . . .

[1]) cf. coniecturam, quam hic vir proponit ad h. l. in praef. sua.

[2]) Simili modo aliud compositum invenimus in libris Q., aliud in codicibus C. Cael. 15,35 = Inst. IX 2,60. Cum vero utrumque ferri possit, hoc loco ,introduxi' codicum Q., cum in C. libris legamus ,induxi', aptius ampliusque esse videtur mihi. Praeterea in hac ipsa paragrapho dicit postea orator ,iam enim ipse tecum nulla persona introducta loquor!', ex quibus verbis verisimile fit eum antea personam illam ,introduxisse'.

Cui loco addamus Mil. 31,85 = Inst. XI 1,34, ubi Quintilianus praebet ,imploro atque testor', quae scriptura comprobatur codice C : H, cum ceteri libri C. exhibeant ,obtestor'. Qui codicum consensus confirmatur ex loci sententia: nam melius quadrat ,testor' (quae vox significat ,als Zeugen anrufen') quam ,obtestor' (quod designat ,bittend anrufen'); itemque librarios vocem ,obtestor' in huiusmodi compositionibus usitatissimam (cf. Verr. V 188 ,imploro et obtestor', aliis locis ,oro atque obtestor', ,quaeso obtestorque', ,obsecrabo obtestaborque') in textum intulisse pro ,testor' verisimilius est quam ,testor' pro ,obtestor'.

obscura aliqua ex causa con*citantur*' respondent haec ,sic in hac comitiorum *tempestate* . . . quo *signo commota* sit, *saepe* ita *obscura* est, ut *sine causa* ex*citata* . . .' Librarii vero C. pro ,sine causa' ,casu' scribentes perturbaverunt ultimam partem praeclarae huius comparationis.[1]) Male autem Clarkius, si etiam sententiam respicias, scripsit ,ita obscura causa est ut casu (= sine causa) excitata

[1]) Non tam raro in C. libris inveniuntur huiusmodi explicationes, quam fortasse putet quispiam. Afferre mihi liceat Inst. IX 2,47 = Verr. V 2,4, ubi tradunt libri Q. ,forsitan optinerem', cum exhibeant codices C. ,debeam forsitan obtinere'. ,optinerem' (quam scripturam Halmio vitiosam visam esse mirum est) i. e.: ,ich haette durchfuehren sollen', ,ich sollte durchfuehren', prorsus eodem modo hoc loco dicitur quo ,peteres' Phil. II 86, ,commoverentur' Sest. 54, quae exempla ex Madvigii collectione (de fin. II § 35, p. 208) sumpsi; atque tam rara est apud Ciceronem haec structura, ut hanc illius verbi formam tritissimis verbis ,debeam obtinere', quibus illa explicata esse videtur, praeferre non dubitem.

Ceterum neglegendum non est libros Q. hoc Verr. loco, ubi C. codices exhibent ,o*b*tinere', formam tradere inscriptionibus (etiam ex Ciceronis aetate: CJL I 598) confirmatam, nemini tamen orationis editori probatam ,o*p*tinerem' (de qua voce cf. Inst. I 7,7).

Multo maius est discrimen verborum Cael. 26,62 = Inst. IX 4,64. Tradunt codices C. probatum omnibus orationis editoribus ,facta erat', Q. ,coeperat esse'. Sed quis est qui non sentiat elegantius ac salsius dici ,nisi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris coeperat esse balneatori'? Interpretamentum est ,facta erat' (cf. etiam ,Thes. gloss. emend.' s. v. ,coepi').

Quam multa manibus eorum sint tribuenda, qui Ciceronis verba explicaverint, denuo videmus Quinct. 25,78 = Inst. IX 3,86. Cum libri C. exhibeant ,in scaena spectetur', tradit Quintilianus ,scenam introeat'; quae Fabii scriptura non modo ea de causa praeferenda videtur, quod verba ,qui eo *non* accedat', melius respondent verbis ,qui scenam *introeat*', quam verbis ,qui in scena *spectetur*', sed etiam quia apud Augustinum, qui affert hunc locum de consensu evang. I cap. 33, respondent verba ,qui eo *non* deberet *accedere*' verbis ,qui in scaenam deberet *intrare*'; accedit quod legimus in codicibus Q. ,qui non accedat' om. ,eo': ac potuit omitti recteque fortasse omittitur, si priore loco Fabii scripturam secuti legamus, ,qui scen*am introeat*'.

esse videatur‘. Quintilianum potius sequamur accuratissime tam multa afferentem. Cum hoc igitur faciamus in hac quoque re: quod cum ‚excitata esse videatur‘ tradant libri C., vocem ‚esse‘ prorsus supervacaneam omittunt codices Q.

Phil. II 1,2 = Inst. XI 1,25.[1]
Verr. a. sec. I 3,9 = Inst. VIII 4,2.

2. Multo vero ampliorem numerum congeri posse eorum exemplorum, quorum pauciora sunt verba, nemo mirabitur.

Caec. 4,11 = Inst. IV 2,49.
ib. 15,43 = Inst. V 10,92.
ibid. = Inst. VII 3,29.
ib. 19,55 = Inst. V 10,98.
Cael. 13,31 = Inst. IX 4,97.
ibid. = Inst. IX 4,98. Propter clausulam affert hoc Fabius item ut verba de quibus modo diximus Cael. 26,62: num putas eum clausulae quidem illius accurate meminisse, vocis autem, quae antecedit clausulae, minus accurate? Habet enim ‚verum etiam‘, ubi plurimi C. codices ‚sed etiam‘ exhibent. Sed gravius est plenius verbum, cf. Tusc. V 7: ‚non modo re esse antiquam, verum etiam nomine?‘ Atque comprobatur hoc manu altera codicis Paris. 14,749 (**Σ**) a Clarkio adhibita, ex qua recte scribit ille: ‚muliere non solum nobili, verum etiam nota.‘[2])
ib. 14,34 = Inst. IX 4,104.[3])
ib. 17,39 = Inst. IX 2,15 ‚haec igitur est‘

[1]) Non satis accurate Clarkius affert ‚„beneficium est“ In et Quintil.‘, quia, cum sane vulgata scriptura tritiorem hunc verborum teneat ordinem, B tamen praebent ‚est beneficium‘.

[2]) Utrum vero div. Caec. 13,41 = Inst. XI 1,44 codicum Q: ‚non modo‘ magis probandum sit quam codicum C: ‚non solum‘, quis hoc diiudicet?

[3]) ‚Cive*s*‘ exhibent libri Q., ‚civ*is*‘ libri C. PG, quam scripturam recte receperunt Muellerus, Clarkius. Item Flacc. 16 schol. Bob. tradit accusativum ‚civ*is*‘, idem (cum T) Mil. 13; contra ib. 82 E hanc formam servavit (cf. Neue-Wagen. I³ p. 385).

exhibet Quintilianus, quod etiam, ut unum afferam exemplum, legimus Verr. V 73 (‚haec igitur est gesta res‘); sed cum C. codices PEG consentiant cum Fabio, T palimpsestus praebet ‚haec est igitur‘. Unde Clarkium contra ceteros scripturam insigni codicum C. et Q. consensu firmatam in textum recepisse non miror.[1])

Cum vero omnes libri C. (excepto T, qui ‚ad‘ praebet) et Q. ‚ac‘ tradant ante ‚continentiae‘, Muellerus, quia (ad Verr. V 34) Ciceronem ante litteras ‚c‘, ‚g‘, ‚q‘ ‚ac‘ posuisse non credit, Halmium secutus ‚atque‘ scribit, quamquam ipse nonnulla collegit exempla etiam ex antiquioribus[2]) codicibus, quibus refutatur haec sententia[3]); nos vero eo maioris aestimabimus codicum Q. plurimorumque librorum C. consensum, quia tam apte coniunguntur ut ablativi ‚robore‘ et ‚indole‘ coniunctione ‚atque‘, ita genetivi ‚virtutis‘ et ‚continentiae‘, quae verba ex ablativo ‚indole‘ pendent, vocula ‚ac‘, Clarkiumque sequemur, qui codicum illorum scripturam in textum recepit (cf. Zielinskium l. c. p. 786 ad Caec. 18).

[1]) Coniungamus cum hoc loco Phil. VIII 1,3 = Inst. VII 3,25, ubi ‚quid enim est aliud..‘ tradit Quintilianus, ‚quid est enim aliud..‘ codices C. Quin immo Rosc. Am. 26,72 = Inst. XII 6,4 cum ipso Cicerone or. § 107 exhibet ‚quid enim tam commune‘, cum libri C. itemque Arusianus et Servius testentur ‚etenim quid tam est commune‘.

[2]) Cf., quod exempli causa affero, Cat. IV 12.

[3]) Contra alio loco, ubi fuit praeferendum ‚atque‘, reiecit hanc vocem, scil. Arch. 8,19 = Inst. VIII 3,75; IX 4,44; XI 1,34; XI 3, 84 et 167. Si ipsa tam crebra repetitio verborum ‚saxa *atque* solitudines‘ non sufficiat ad reiciendam codicum C. scripturam ‚saxa *et* solitudines‘, — neque suffecit Baitero neque Muellero — animadvertas velim, quomodo Fabius VIII 3,75 sublimitatem horum verborum, IX 4,44 *iuncturam atque compositionem*, XI 1,34 exquisitionem et compositionem (et laetitiam), XI 3,84 speciositatem et *ubertatem*, IX 3,167 iterum plenam atque exquisitam compositionem (‚iam cantici quiddam habent sensimque resupina sunt „saxa atque solitudines“‘!) extulerit. Quae omnia imminuuntur, si legas ‚saxa et solitudines‘! Quo accedit, quod facillime pro illa coniunctione haec potuit inferri.

Cat. I 1,1 = Inst. IV 1,68.
ibid. = Inst. IX 2,7.
ibid. = Inst. IX 3,30. Praebent libri Q. ‚consensus', cum codices editionesque[1]) C., quibuscum consentit Diomedes (p. 444 K.), excepto q, qui idem tradit atque libri Q., exhibeant ‚concursus'.[2]) Sed de

[1]) Ne commemorant quidem Fabii scripturam post alios Muellerus, Clarkius.

[2]) Ut hoc loco librarium aliquem ‚concursum' legisse pro ‚consensum' putaverim, ita simili errore Lig. 5,15 pro ‚bonitas' ‚lenitas' legit ac scripsit aliquis. Praebet enim Fabius Inst. VIII 3,85 ‚bonitas', cum C. libri exhibeant ‚lenitas'. Quae vox saepius cum ‚misericordia' coniungitur, ut etiam hoc loco paulo post legimus ‚nolint te esse in alios misericordem', praecipue si de una spe agitur, quae relinquitur reo, ubi non sine causa voce pleniorem sensum praebente utitur orator: velut Sex. Rosc. 150: ‚una spes reliqua Sex. Roscio, ... vestra pristina bonitas et misericordia'; apte Schoellius l. c. p. 497 contulit Lig. 37: ‚nihil enim tam populare quam bonitas; nulla de virtutibus tuis plurimis nec admirabilior nec gratior misericordia'; praecipue vero cf. Marc. 31: ‚vicit is, qui non *fortuna* inflammaret odium suum, sed *bonitate* leniret'; ubi cum *de eodem viro* dicitur, tum eodem modo ‚fortuna' et ‚bonitas' componuntur. Si igitur neglecta codicum auctoritate eligendum esset: utra praeferenda videretur tibi scriptura? Certe illa quam praebet Fabius. Quod enim contra affert Reederus (l. c. p. 31) locum illum ex § 37 rhetori ante oculos obversatum esse verisimile videri, hoc quidem ut aliis locis, ita hoc loco parum confirmari potest argumentum (praesertim cum tam accurate afferat locum Quintilianus). Quo iure igitur Reederus contendat Schoellium nimis illius fide confisum esse, manifestum est.

Eodem modo inter se simillimae sunt sententiae verborum, de quibus agitur Lig. 3,7 = Inst. IX 2,28. Cum Quintilianus tradat ‚consilio ac voluntate mea', C. libri exhibent ‚iudicio ac voluntate'. Saepius invenitur haec verborum ‚iudicium' et ‚voluntas' compositio, velut Sest. 106, Rab. Post. 45, Verr. a. pr. 10, Verr. II 162, Phil. V 38, Phil. VII 21. Sed etiam eorum verborum compositio, quae tradit Fabius, saepius extat apud Ciceronem: velut Sex. Rosc. 110 ‚ceterorum legatorum consilia et voluntatem . . .', Tull. 25 ‚potestis eam voluntatem, id consilium . . . a dolo malo seiungere?', Caec. 50 ‚cum voluntas et consilium et sententia interdicti intellegatur', Cluent. 144 ‚et consilio et voluntati obtempero', Planc. 5 ‚consensus et societas consiliorum

quo, quaeso, agitur bonorum concursu? Cuiusmodi bonorum concursus Catilinam moveret? Num ad Ciceronem consulem concursus est factus? Sed cum nullo loco legimus de illo concursu, tum eo magis mira videntur illa verba, quia, ut omnino, quas orator exponit res in

et voluntatum'. Itaque levissime Reederus contra hanc Fabii profert scripturam (l. c. p. 30) eam nullo alio exemplo ne simili quidem apud Tullium confirmari; immo ‚*co*actus *co*nsilio . .' perapte componi assentiamur Schoellio (l. c. p. 496); nec melius defendit hoc loco Reederus C. codicum scripturam contra Schoellium, cum dicit de voce ‚mea', quam voculam aptissimam ante ‚ad ea' facile omitti potuisse hic admonet (l. c. p. 496). Negat ille (l. c. p. 27) genuinam esse quia ‚malus sonus 'mea' adiecto exsisteret ac brevitas concinnitasque huic ipsi orationi propria imminueretur'. Sed primum quidem quod ad malum illum sonum pertinet, scil. effectum vocibus ‚mea ad ea', apud Ciceronem quidem saepius occurrere huiusmodi κακοφωνίας Landgrafius docet ad Sex. Rosc. 116 (cf. etiam Kraffertium: Zeitschrift f. d. Gymn.-Wes., 1887, p. 713—733 ‚Kakophonieen im Lateinischen'). Deinde quod de brevitate et concinnitate dicit Reederus, id serio sub censum vocari vix opus est, praesertim cum illud ‚mea', si sententiam respicias, et ad ‚consilio' et ad ‚voluntate' pertineat. Contra aptissime praecedentia verba ‚ . . . *nulla vi coactus*' insequuntur haec ‚consilio ac voluntate *mea*'. Recte igitur Eberhardus nunc scribit ‚ . . . mea ad ea'.

Adiciamus huic loco Caec. 29,82 = Inst. IX 3,22, ubi ‚decreto' tradunt codices C., ‚edicto' bis codices Q. Non consentiunt inter se orationis editores, ex quibus alteri et § 82 et § 84, quo loco item libri C. exhibent illud ‚ex decreto', scribunt ‚decreto' velut Klotzius, Jordanus, Muellerus, alteri et § 82 et § 84 ‚edicto' velut Lambinus Baiterusque, Kayserus vero § 82 ‚decreto', § 84 ‚edicto'. Sed quo orationis loco *decretum* — de quo cf. Herzogium (Gesch. u. System d. roem. Staatsverwalt.) I 634, praeterea Heskyum in Paulyi encyclopaedia, 'quam instauravit Wissowa, vol. IV 2 p. 2289—2306, de voce ‚edictum' Kippium ibi vol. V2 p. 1940—1948— appellatur illud praetoris nisi in his duabus paragraphis? Jmmo *interdictum* dicit illud Cicero §§ 50, 55, 59 ac saepius. Sed ex Gaio (IV 139), quem ibi saepe laudat, hoc affert Jordanus p. 18: ‚certis igitur ex causis praetor . . . . aut iubet aliquid fieri aut fieri prohibet. Formulae autem verborum et conceptiones quibus in ea re utitur, *interdicta decretave* vocantur', quo loco vix recte usus est corruptissimo, praecipue sub finem paragraphi (Studem. IV p. 191): nam distinguit Gaius inter decreta et inter-

notissimo huius orationis initio, iterum ac saepius narrat, ita praecipue rem ipsi tam iucundam oratorem postea elaturum non fuisse certe nemo putabit. Immo vero minus ‚concursus bonorum omnium‘ Catilinam moveret quam ‚consensus bonorum omnium‘; nam quanti duxerit hunc omnium bonorum consensum quaque de causa tam gravem putaverit, ab ipso oratore saepius comperimus. Neque enim in huius ipsius modo orationis paragrapho 32 effert *‚tantam in omnibus bonis consensionem‘* — ac solet Cicero illi ‚pesti ac perniciei (§ 33) opponere bonorum consensionem, velut Rab. perd. 2 ‚consensio bonorum contra pestem ac perniciem civitatis‘, ib. 4 ‚bonorum consensio contra improborum furorem et audaciam‘ —, sed etiam — ut omittam Cat. II 19, quo loco contra novarum rerum studiosos inter ceteras res, scil. quibus illi ‚moveantur‘, ut oratoris verbo utar, affert ‚magnos animos esse in bonis viris, magnam concordiam in maxima multitudine‘ — Cat. III 27 laeto animo profitetur, qua re confisus tam acrem se praebuerit, cum dicit: ‚quamquam, Quirites, mihi quidem ipsi nihil ab illis iam noceri potest: magnum enim est *in bonis praesidium*‘ scil. in bonis consentientibus cum Cicerone; praecipue vero legas velim Cat. IV 14 sq: ‚causa est

dicta, cum hoc dicit: ‚*decreta*, cum fieri aliquid iubet, veluti cum praecipit, ut aliquid exhibeatur aut restituatur; *interdicta* vero, cum prohibet fieri, veluti cum praecipit, ne sine vitio possidenti vis fiat neve in loco sacro aliquid fiat: unde omnia interdicta aut restitutoria aut exhibitoria aut prohibitoria vocantur‘. Ac § 154: ‚Reciperandae possessionis causa solet interdictum dari, si quis ex possessione vi deiectus sit: nam ei proponitur interdictum, cuius principium est ‘unde tu illum vi deiecisti“ etc., ad quae cf. Caec. 19,55 et 30,87 sq. Itaque consentire videmus Ciceronem de hac re cum Gaio, ita ut de *decreto* hoc loco nullo modo agatur, immo de interdicto vel edicto praetoris, quod etiam 16,45 nominatur apud Tullium et § 165 apud Gaium, quo loco de eadem re agitur: ‚ . . *contra edictum praetoris* non exhibuerit aut *non restituerit*‘. Quare illud ‚ex edicto praetoris‘, quod Gaii testimonio tam praeclare confirmatur, praeferre codicibus C. non dubito, praesertim cum duobus locis idem praebeat Quintilianus. —

enim post urbem conditam haec inventa *sola in qua omnes sentirent unum atque idem . . . . . qua frequentia, quo studio . . . . . ad communem salutem dignitatemque consentiunt.* Quid ego hic equites Romanos commemorem . . . . . quos ex multorum annorum dissensione huius ordinis *ad societatem concordiamque revocatos* hodiernus dies vobiscum atque haec causa coniungit . . .‘, ib. 22 ‚ . . . id ego vestro *bonorumque omnium auxilio* . . . . . propulsari posse confido neque ulla . . . vis reperietur, quae *coniunctionem vestram equitumque* Romanorum et *tantam conspirationem bonorum omnium* confringere et labefactare possit‘. Postremo ne illa quidem praetermittam verba, quae legimus dom. 94 ‚ . . . illius pulcherrimi facti, quod ex auctoritate senatus *consensu bonorum omnium* pro salute patriae gessissem . . .‘. Mirum certe fuisset, si hunc tantum bonorum omnium consensum, quem tam saepe commemorat, quem tanti aestimat, non imprimis obiecisset orator Catilinae. Accedit denique, quod ‚consensus bonorum‘ melius quam ‚concursus‘ adiungitur ‚timori populi‘: semper vero duo membra hoc loco artius inter se cohaerent; nam praecedit *‚praesidium* Palati‘, ‚urbis *vigiliae*‘, sequitur ‚hic *munitissimus* senatus habendi locus‘, ‚horum *ora vultusque*‘. Qua re summa confidentia praeferendam censeo codicum Q. scripturam, quamvis tenue sit C. codicis q subsidium.

ib. 1,2 = Inst. IX 3,44.

ib. 2,4 = Inst. IX 3,29.

ib. 2,5 = Inst. IX 3,19. Etsi ‚iam‘, quod ante ‚Catilina‘ in plurimis C. codicibus legimus (sup. lin. habent A et cod. o a Clarkio adhibitus), ferri posse videtur, librorum Q. tamen scripturam, qui omittunt ‚iam‘, codicibus C. d e o comprobatam eo magis probaverim, quia tam saepe in his paragraphis legimus hanc particulam, quae occurrit in § 4 bis, in § 5 bis (non addito loco, de quo agitur) in § 6 ter.[1]) Neque vero necessaria

[1]) De eadem re agitur Cluent. 14,41 = Inst. IX 3,38 (ubi librarios Q., cum scriberent ‚violari‘, illud ‚lari‘ quod A praebet ex ‚Larini‘ ortum supplere voluisse quis non intellegat?); omit-

est illa vox neque, si verborum ordinem respicias, satis apta (exspectaveris potius ‚iam si te, Catilina‘ vel tale quid, ita ut non disiungantur verba ‚te, Catilina‘, quae hoc modo aptissime coniuncta leguntur § 2, § 3), immo, si diligenter sententiae rationem habeas, inepta — quia tempori significando prorsus satisfacit vox ‚iussero‘; quo accedit, quod ipse Cicero in eadem paragrapho postea exponit se illum non ‚iam‘, sed tum denique interfecturum esse, cum iam nemo tam improbus ..... inveniri possit, qui id non iure factum esse fateatur—.

tunt enim libri Q. ante ‚rationem‘ ‚iam‘, quod tradunt libri C. aut post ‚nemo‘ ut **Σ** a, aut ante ‚nemo‘ ut *Mμ*. Iam si respexeris, quantopere efferantur ‚*universi iudicaverunt; ....nemo* rationem, *nemo* rem *ullam* contrahebat; *nemo* .... scripsit; *nemo* illum aditu, *nemo* congressione, *nemo* sermone, *nemo* convivio dignum iudicavit‘, voce ‚iam‘ inter ‚nemo‘ et ‚rationem‘ inserta vim verborum aliquid debilitari facile concedes.

Simili modo particulam ‚vero‘ quam exhibent libri C., omittunt codices Q. Caec. 16,45 = Inst. V 10,93: ubi locutioni usitatiori ‚itane vero’ simplicem eandemque exquisitiorem, quae servata est etiam Phil. VI 15, haud recte non praetulerunt orationis editores; accedit enim, quod ex antecedentibus verbis facile inseri potuit ‚vero‘.

Aliter iudicandum est Lig. 3,7 = Inst. IX 2,28; XI 3,166. Utroque loco ‚iam etiam‘ praebent libri Q., cum ‚iam‘ omittant libri C. Schoellio autem, qui (l. c. p. 489 adn.) Fabii scripturam meliorem ratus argumenta et exempla profert, Luterbacherus (l. c., 1901, p. 218), quem secutus est Reederus (l. c. p. 27), obiecit in duobus locis allatis ‚iam‘ praesens tempus exprimere, quod huic loco alienum esset. Sed num hac re Schoellius refutatur? Ut in allatis locis, quibus addere possumus Acad. II 59 et de fin. II 2, ‚iam‘ praesens exprimit tempus, ita hoc loco velut saepe (cf. Tusc. I 7: ‚ut *iam etiam* scholas ... habere *auderemus*‘, de rep. II 48 ‚qui *etiam liberata iam* civitate dominationes adpetiverunt‘) praeteritum designat tempus; neque magis supervacanea est haec vocula hoc loco quam illis, quia, cum ‚*etiam*‘ *gradationem*, non tempus designet, ‚*iam*‘ his locis *tempus* exprimit modo praesens modo praeteritum. Vertamus igitur: ‚sogar (= etiam) als er schon (= iam) großenteils gefuehrt war‘. Aptissimam igitur, si sententiam respicias, hanc Fabii scripturam recte nun recepit Eberhardus. —

ib. 5,10 = Inst. IX 3,45.
ib. 7,17 = Inst. VIII 4,10.
ib. 7,18 = Inst. IX 2,32.
ib. 8,19 = Inst. IX 2,45.
ib. 12,30 = Inst. IX 3,71.
Cat. IV 2,3 = Inst. VI 3,109. Tradunt A G ‚nec misera‘ (quam scripturam neminem editorum Q. in textum recepisse valde miror, ex quibus Meisterus et Radermacherus ne afferunt quidem), idem nonnulli C. codices, cum libri C. b c h k s z aliique ‚neque‘ praebeant. Sed cum de hac re consentiant optimi C. libri cum codicibus Q., dissentiunt ab illis de praegressis: ‚nec inmaturam‘ tradunt libri Q., ‚neque inm.‘ libri C.[1]) Sed quoniam in codicibus C. saepissime pro ‚nec‘ ‚neque‘ invenimus et pro ‚neque‘ ‚nec‘[2]), codices Q. re vera aptos esse putaverim, quorum testimonio res diiudicetur atque eius modi verborum coniunctio efficiatur, cuius exemplum habemus in Cat. I 17: ‚.... *neque* auctoritatem .... *nec* iudicium .... *nec* vim‘.

Cluent. 1,4 = Inst. IX 2,19; IX 4,75.[3]) Utroque loco omittunt libri Q. vocem ‚iudices‘ insertam inter

[1]) Cf. J. Schmidtii collectionem, quam supra commemoravi, ad hunc locum et ad Cael. 2,4 = Inst. XI 1,28, ubi de iisdem disputandum est verbis. Nam legimus ‚nec‘ ante ‚defendentibus‘ in Q. libris, cum C. libri editionesque praebeant ‚neque‘. Sed non modo ea de causa, quia exquisitius videtur ‚neque ... nec‘ Quintiliani quam codicum C. ‚neque ... neque‘ (quam dictionis varietatem invenimus etiam Verr. II 167: ‚neque tu hoc dicere audebis nec, si cupias, licebit‘, div. Caec. 21: ‚neque velle sua causa nec, si cupias, posse‘, vel mutato ordine Verr. a. sec. I 69: ‚quoniam nec perfecisset, quod conatus esset, neque futurus esset ...‘ etc.), sed etiam quod aptiora sunt verba ‚nec defendentibus‘ quam ‚*neque defenden*tibus‘, Fabii praetulerim scripturam.

[2]) Cf. quae contulit Muellerus exempla ad leg. agr. II 3.

[3]) Exhibet IX 2,19 codex Q. A ‚illam‘ post ‚infamiam‘, quam vocem omittunt ceteri Q. libri. Sed primam paragraphum si respexeris, aptissimam hanc vocem esse concedes; quo accedit, quod omnes libri C. exhibent pronomen. Itaque cum in codicibus Q: B post vel ante vocem ‚*in*fami*am*‘ interciderit illa vox, recte retinuerunt editores C., minus recte reiecerunt edi-

‚vertam' et ‚nescio' non in C. codicibus, sed apud Aq. Rom. (§ 10), ex hoc apud Mart. Cap. (§ 523). Sed quam non accurate afferat locum Aquila, ipse intelleges, si comparaveris verba ab illo allata ‚Equidem quo me vertam, iudices, nescio. Negem fuisse illam rem' cum codicibus C. vel Q. Consensum potius librorum C. et Q. recte secuti sunt post alios Faussetius, Clarkius.

ibid. = Inst. IX 3,75.

ib. 2,5 = Inst. IX 2,51; IX 3,81.[1])

ib. 5,11 = Inst. IV 2, (16 et) 130; (XI 3,162). Tradunt codices Q.: ‚nobilitate princeps', quibuscum consentiunt C. libri *Ba*, cum *Mμ* praebeant ‚nobilitate facile princeps'. Saepius Cicero voci ‚princeps' anteposuit ‚facile', saepius non anteposuit. Verum hoc loco aptissime comparatur Quintilianus apud quem omnes libri omittunt ‚facile', ubi de ornanda initio orationis persona verba facit. Quare vocem illam recte delevit Clarkius.

Item librariorum additamentum videtur esse, quod codices C. exhibent ‚sed *etiam*', cum omittant Q. libri ‚etiam' (IV 2,130); nam exquisitius atque gravius est ‚non solum — sed' om. ‚etiam'.[2])

ib. 5,14 = Inst. IV 2,121; XI 3,162.

ib. 6,15 = Inst. IX 3,62 et 77 et 81.[3])

tores Q.; vix vero ex illius Q. codicis scriptura apud Tullium scribendum erit ‚infamiam illam' pro ‚illam infamiam', cum verbis ‚*negem fuisse illam* infamiam iudicii corrupti?' apte respondeant ‚*negem esse illam* rem agitatam in contionibus . . .?'

1) Contra plurimos C. codices, qui praebent ‚concionibus', veram inscriptionibusque confirmatam formam duobus locis exhibent libri Q. (cf. Corssen, Ueber Aussprache, Vokalismus und Betonung d. lat. Sprache, I² p. 51).

2) Idem cadit in Mil. 3,8 = Inst. V 11,18, ubi omittunt libri Q. vocem ‚etiam' ante ‚sapientissimae' contra C. codices; Mil. vero 4,10 = Inst. IX 3,83 Fabii scriptura, qui ‚verum' praebet, ipsis C. codicibus HEΣ confirmatur, cum in libris Tδ post ‚verum' ‚etiam' inseruerint librarii praecedente ‚verum etiam' § 9 (cf. Madvigium in opusc. acad.² p. 747 sqq.).

3) IX 3,62 qui archetypum scripsit, in verbis ‚pudorem libido, timorem audacia' ob repetitam terminationem omisit verba ‚libido timorem'.

ib. 11,32 = Inst. VIII 4,11.[1]) Confirmatur ‚secundis', quod ante ‚heredibus' omittunt *ΣBa*, quod delevit Kayserus, inclusit Baiterus, Muellerus, Faussetius, Quintiliani testimonio, ex cuius scriptura ceteris C. libris comprobata recte retinuit Clarkius.

1) ‚mortem atque cruciatum' praebent libri C., ‚vim atque cruciatum' codices Q. Sed primum quidem aptissimum est in oratione illud ‚mortem atque cruc.', quandoquidem Oppianicum veneno illam mulierem interfecisse constitit inter omnes; deinde non minus aptum est apud rhetorem, qui propter amplificationem, quae ‚per comparationem' facta ‚incrementum ex minoribus petit', hunc affert locum ubi dicit: ‚interim proposito velut simili exemplo *efficiendum est, ut sit maius id, quod a nobis exaggerandum est*, ut idem pro Cluentio . . . .'. Unde apparet non Fabium ita scribere potuisse, ut nunc legimus in Q. codicibus: immo librarium pro ‚mortem' ‚vim' scripsisse, ut responderent verbis ‚cum suo *corpori vim* attulisset, se ipsa *cruciavit*' verba ‚per alieni *corporis vim* atque *cruciatum*'. Ceterum de his verbis cf. quae post alios Faussetius adnotavit in edit. sua p. 228.

Saepius apud Quintilianum huiusmodi invenimus mutationes scripturae, quas librariis imputamus, velut Mil. 16,41 = Inst. V 14,3, ubi, cum C. codices tradant: ‚cum omnium gratia', apud Quintilianum (AB) legimus: ‚cum aliqua gratia'. Sed libros C. sequendos esse ex totius loci sententia apparet, praesertim cum paulo ante (§ 39) ipse orator dicat: ‚omnium denique in illum odia civium ardebant'; in librorum Q. vero archetypo librarii propter verba ‚cum aliquorum querela' pro ‚omnium' ‚aliqua' posuerunt, ut videtur quidem.

Iidem Inst. VIII 3,22 = Mil. 22,60 pro ‚heus' ‚heu' scripserunt; quam scripturam reiciendam particulamque vocandi vel admonendi pro particula dolendi ponendam esse ex ipso hoc Fabii loco apparet, quia ‚heus' re vera numerandum est in humilibus verbis, de quibus hoc loco dicit Quintilianus, non ‚heu'.

Quod vero Inst. VI 1,24 = Mil. 37,102 contra codicum C. scripturam in codicibus editionibusque Q. legis ‚o me miserum, o te infelicem', hoc prorsus absurdum putes nolim; immo erat Milo re vera infelix, si Cicero eum in patria retinere non potuit. Sed oratorem, qui saepius coniunxerit illa verba ut Sull. 91, Quinct. 94, hoc loco tam argute discrevisse ea, ut se miserum, Milonem infelicem appellaret, recte nemo orationis quidem editorum credidit; immo hic error librariorum effectus videtur sequentibus verbis ‚revocare *me tu* . . . . . *ego te* . . . .'. Accedit enim, quod XI 3,172, ubi eadem verba afferuntur, Q. quoque

ib. 23,63 = Inst. IX 2,51. Cum ‚iudicium corruptum esse' exhibeant C. codices Σa, ceterorum C. et omnium Q. codicum verborum collocationem ‚iudicium esse corruptum' recte praetulerunt Klotzius, Muellerus, Clarkius probante Zielinskio (l. c. p. 787), quia ille verborum ordo, quem post Baiterum, Kayserum recepit Faussetius, clausulam praebet malam, hic bonam.

---

codices tradunt ‚*me* miserum, *me* infelicem'. Ceterum huius loci posterioris scripturam non praeferemus: quod omittunt codices hoc loco ‚o', quod tradunt ‚potuisti, Milo' pro ‚Milo, potuisti', quod inter ‚in' et ‚patria' insertum praebent ‚eadem' vocem prorsus supervacaneam, atque haec omnia contra libros C. et ipsos codices Q. (VI 1,24). At ‚tu me' praebent codices Q. XI 3,172, quibuscum consentiunt C. libri, ‚me tu' VI 1,24. Qua in re quid relinquitur aliud nisi ut consensum sequamur librorum C. et Q? —

Item librariis non recte verba corrigentibus tribuemus Inst. IX 4,64, ubi de duris clausulis dicit Fabius, formam ‚archipirat*ae*', cum Verr. V 27,70 enuntiatum claudatur forma ‚archipirat*am*'. Sed si respexeris, quae verba de illa voce faciat Quintilianus, quid iudicandum sit facile intelleges. Legimus illo loco ‚. . „familiaris coeperat esse balneatori" et non minus dura „archipiratae". nam „balneatori" et „archipiratae" idem finis est qui πᾶσι καὶ πάσαις . . . .': correctores cum perperam intellegerent haec verba, pro ‚archipiratam' scripserunt ‚archipiratae', ut dativis dativi responderent.

Qui Inst. IX 4,64 casum vocis, ib. IX 2,38 = Verr. V 63,163 numerum vocis non recte commutaverunt. Legimus apud Quintilianum ‚leges Porciae', scil. in codice A, qui maximam partem verborum ‚inplorationem o leges Portiae' in rasura habet, cum omittant B illa verba, unde in Bg ‚que' (‚legesque') erasum est. Neque igitur ullo modo affirmari posse ipsum Fabium scripsisse ‚leges Porciae' manifestum est. Immo verisimillimum videtur scribendum esse ita, ut tradunt libri C: ‚lex Porcia', cum apud Quintilianum librarii propter insequentia verba ‚legesque Semproniae' scripserint ‚leges Porciae'. Semper enim de una tantum lege Porcia, quam explicat Rab. perd. 12, verba facit Cicero. Ceterum comprobatur codicum C. scriptura Gellii testimonio (Noct. Att. X 3,13).

Adiungamus Cat. I 9,22 = Inst. IX 3,62. Tradunt enim libri Q. ‚revocaverit', (sed A in ras. minoris spatii), idem libri C. e g i o s u et Clarkii libri V h o, cum ceteri tradant ‚revocarit'

Item male Cluent. 23,64 = Inst. V 10,68 Faussetius codicum a auctoritate confisus Baiterum Kayserumque secutus scripsit ‚corruptum illud iudicium esse', cum ceteri C. codices (praeter Σ) omnesque Q. libri praebeant ‚c. i. esse iudicium' recte probatum Klotzio, Muellero, Clarkio.

(quod etiam Q. A ante ras. habuisse Halmius putat). Vel ex clausulae ratione, utra praeferenda videatur scriptura, cognosci potest. Affert enim Zielinskius (l. c. p. 634 sqq. 660 sqq.) 772 exempla ex orationibus C. huius formae (= ‚esse videatur'), quam hoc loco tradunt libri C. meliores, 12 exempla illius (= ‚esse videamini'), quam exhibent Q. codices: quam vitasse orator videtur quam maxime; ac potuit hoc loco facillime effugere. Sed omnino in deterioribus codicibus C. saepius additas esse syllabas ‚ve' et ‚vi' quam demptas Muellerus docet exemplisque confirmat ad Pomp. 16. Nam tritius fuit ‚revocaverit' quam ‚revocarit'. Adde quae ipse de his formis dicit Cic. or. 47,157.

Haud magis probabimus codicum Q. scripturam Inst. VIII 4,28 = leg. agr. II 5,13, ubi totum locum aliter tradunt libri C., aliter codices Q. Legimus in his: ‚qui proximi adstiterant', cum C. codices tradant: ‚qui acutiores in contione steterant'. Sed Cicero, postquam orationis illius Rullianae reprehendit obscuritatem, cum diceret inveniri neminem potuisse, qui *intellegere* posset, quid *diceret* ille, optime pergit *suspicatos* tamen *esse* aliquos, scil. qui acutiores in contione stetissent, eum de lege agraria nescio quid *dicere voluisse*. At apud Quintilianum aliquid infertur in illa verba a sententia totius loci prorsus alienum; num ullo modo queritur orator Rullium non satis magna voce locutum esse? Atque ne ipse quidem Fabius de *hac re* verba facit vel Rullium vituperat, qui hoc addit verbis ex Cicerone allatis: ‚*quod si ad intellectum referas, minutio est, si ad obscuritatem, incrementum*'.

Eodem loco tradunt codices C: EF ‚tamen si qui', P ‚tametsi' (om. ‚qui'), contra quos Muellerus Lambinum Baiterumque secutus scribit ‚tametsi qui', postquam Kayserus scripsit ‚tametsi si qui', cum apud Quintilianum legamus ‚pauci tamen qui . .'. Sed quia re vera variae codicum C. scripturae ex illa profluxisse videntur scriptura, quam probaverunt Baiterus, Muellerus, cum, quomodo ‚tametsi' effici potuerit ex ‚pauci tamen', vix intellegam, haec verba ab eodem homine in Q. libros illata esse putaverim, a quo insequentia; ita ut ipsum Quintilianum non scripsisse existimem ‚pauci tamen qui proximi adstiterant' (ubi ipsa omissa verba ‚in

Cum vero C. libri *Mμ* ,iniquus' tradant, quod recepit unus Klotzius, exhibent *α*a et codices Q. et Rufinianus (§ 14) ,inimicus', quo consensu diiudicatur res; usum enim Ciceronis dicendi si respicias, utraque voce saepius ita utitur orator ut Quir. 72, Cluent. 202.

ib. 27,75 = Inst. V 11,22.

ib. 29,80 = Inst. IX 3,82.

---

contione' manifestant manum interpolatoris), sed ,tametsi qui acutiores in contione steterant'.

Claudatur haec locorum enumeratio Mil. 27,72 = Inst. V 11,12; IX 3,28 (ubi Q. ,videbatur' servavit cum uno C. cod. vetustissimo ceteris ,putabatur' exhibentibus). Cum codex Q.: A ,adfectandi', quam scripturam praefert Radermacherus, tradat, BP exhibent ,adpetendi', libri C. ,appetendi'. Sed voce ,adfectare' nunquam usus est Cicero in orationibus nisi cum ,iter' coniuncta, voce ,appeto' saepius cum ,regnum' coniuncta, ut dom. 101, Phil. II 114. Itaque cum codicis Q: A scriptura aliis potius conveniat scriptoribus quam Ciceroni — cum voce ,regnum' coniunctum invenimus illud verbum Liv. I 46, cum ,caelestia regna' Ov. Pont. IV 8,59, cum ,dominationes', ,civitates' apud alios scriptores — consensum sequamur librorum C. et codicum Q: BP.

Utrum vero ,adpetendi' scribendum sit an ,appetendi', fortasse quaeras. Q. codices modo hanc modo illam formam tradunt: omnes III 6,56 exhibent ,adpetendis', VIII 4,2 ,adpetenda', X 2,9 ,adpetunt', XI 3,124 ,adpetere', omnes V 10,17 ,appeti', V 10,69 ,appetisset', cum II 10,1 A scribat ,appetet', B ,adpetet'. Ne C. quidem codices de hac re consentiunt inter se: Phil. II 33 V tradit ,adpetere', D ,appetere', itemque III 33 V ,adpetam', D ,appetam', dom. 101 P ,adpetentis', GMV ,appetentis', ib. P ,adpetisse', GMV ,appetisse', de har. resp. P ,adpetita', GEM ,appetita', Verr. IV 80 R ,adpeto', G 3 ,appeto', Sex. Rosc. 30 G ,adpetita', M ,appetita' (cf. Priscianum II p. 47 H., Servium ad Aen. I 619). Cum vero Claudius (cf: Brambach, Die Neugestaltung der lat. Orthographie, p. 297 sqq.) forma ,adprobare' sit usus, in monumento Ancyrano semper alteram formam invenimus ut I 21 (res gest. Momms. ² p. XLII), II 33, III 5, IV 3, IV 11, IV 28 in verbo ,appellare', et ex liberae rei publicae aetate in lege repet. (lege Acilia: a. u. c. 632 vel 631) v. 50 formam ,apparitoribus' (CIL I 198) saepiusque in aliis inscriptionibus ,apparere', praecipue iu lege Cornelia de XX quaestoribus (CIL I 202). Itaque ut Ciceronem hac forma usum esse putaverim, ita in illius or. Mil. 72 ,appetendi' recte scripserunt editores velut Muellerus, Laubmannus, Clarkius.

ib. 35,96 = Inst. VIII 3,51. Praebent libri Q., quibuscum consentiunt C. codices *Mμ*, ,igitur illud', cum *Σ*a exhibeant ,illud igitur'. Sed etsi coniunctio ,igitur' apud Ciceronem saepius occurrit quarto loco posita, velut Tusc. I 32, 71, 82, 88, II 12, quinto loco posita Tusc. V 67, ex his ipsis tamen locis, quibus ,igitur' semper eam insequitur vocem, ad quam pertinet vel quae efferenda est (qui ordo Tusc. I 71, 82, 88 ex certa lege commutatur), apparet consensum sequendum esse codicum C. *Mμ* librorumque Q., quia nullo modo pronomen ,illud' est efferendum. Neque igitur assentiri possum Muellero, Faussetio, Clarkio, qui scribunt ,illud igitur'.

ib. 37,103 = Inst. IX 2,8.[1]

ib. 38,106 = Inst. IX 2,16.

ib. 52,143 = Inst. V 13,47. Quod ,imprudentes videlicet' tradunt omnes codices Q., idem C. codices *Σs*, cum *Mμ* praebeant ,videlicet imprudentes', recte iam diu editores consensum librorum secuti sunt.

At omittunt ,autem' C. codices *α*a contra ceteros C. libros contraque Quintilianum[2], nec recte: aptissime enim, postquam de *amicis* dixit orator, orationem ad *se* vertit, cum dicit ,ego autem'. Assentiamur igitur Muellero, Faussetio, Clarkio, qui post Classenium et Klotzium retinuerunt ,autem'.[3]

Idem codices, qui ,autem' omittunt, praebent ,amicos nostros' pro ,amicos nobis', effectum, ut videtur, sequentibus verbis ,nostra consilia'. Cum vero Classenius,

---

1) Veram atque inscriptionibus confirmatam formam nominis ,Fidiculanius' tradunt C. codices PΣ et omnes libri Q.

2) Mur. 35,73 = Inst. VII 3,16, ubi apud Q. legimus ,quid est enim vulgo?', cum C. codices omittant ,enim', ex errore ,enim' effectum esse inde apparet, quod, si totius loci sententiam respicias, ineptum est: „,Minime, sed vulgo'. ,Quid est ,vulgo'?' ,Universos.'" Sed unus A habet ,est enim', reliqui ,enim' ex ,ē' ut videtur ortum, cum in A ,est', quod substituendum erat, additum sit.

3) Similia collegit Muellerus.

Kayserus, Muellerus illorum codicum praetulerint scripturam, in huiusmodi verborum conexu minus solitum ‚nobis' confirmatum non modo consensu ceterorum C. codicum omniumque Q. librorum sed etiam ipsa varietate dicendi, post Baiterum, Klotzium recte receperunt Faussetius, Clarkius. [1])

At ‚sed nimirum' tradunt C. libri ***Mμ***, ‚et nimirum' Σa, ‚nimirum' Q. codices. Primum quidem illud ‚sed' codicum ***Mμ*** (quod saepe pro ‚et' scriptum esse demonstrat Muellerus) et propter sequentia verba ‚*sed* num tibi ita . . .' et propter sententiam, quae aptius opponitur antecedenti sententiae omissa coniunctione, reiciamus, quam vocem receperunt Baiterus, Kayserus, cum Klotzius incluserit. Contra ‚et nimirum' scripserunt Muellerus, Faussetius: quae scriptura sane ferri potest, quamquam aptius haec verba praegressis opponi omnino nulla interposita coniunctione putaverim, ut nullam invenimus interpositam apud Fabium. [2])

[1]) Comparemus cum hoc loco Mil. 34,94 = Inst. VI 1,27. Cum ceteri libri C. (etiam **Σ**) omnesque Q. tradant ‚mei', P exhibet ‚mihi'. Quanto usitatius est ‚mihi suscepti labores'; quanto meliora videantur nobis haec verba quam ‚mei suscepti labores'! ita ut plurimos editores velut Baiterum, Halmium, Nohlium, Muellerum, Laubmannum illa praetulisse nullo modo mirer. Sed quod tot codices C., omnes Q. libri tradunt, non est inauditum: cf., ut unum alterumve afferam exemplum, Phil. II 89: ‚o mea frustra semper verissima auguria rerum futurarum' et Sest. 4: ‚nam neque officio coniunctior dolor ullus esse potest quam *hic meus susceptus* ex hominis de me optime meriti periculo . . .' Itaque cum is, qui codicem P conscripsit, non recte pro ‚mei' ‚mihi' posuisse videatur, Fabii scripturam summo iure in textum recepit Clarkius.

At ‚inanes me*as*' librorum Q. effectum est praegressis verbis ‚spe*s* fallac*es*', ‚cogitation*es* inane*s*'.

[2]) Similis quaestio est Caec. 8,23 = Inst. IV 2,132. Melius verba inter se coniunguntur, si cum Q. codicibus scribamus ‚restitueret: deinde restituisse . .', an si cum C. libris scribamus ‚restitueret: restituisse . . '? Conferamus § 60: ‚ . . . . restituere: restituisse te dices?' quo loco cur ita composita sint illa verba, nemo non videt: nempe ut acrior fieret oratio. Recte enim Fa-

ib. 61,169 = Inst. IX 2,60.
Lig. 1,1 = Inst. IX 4,73 et 105.
ibid. = Inst. IX 4,93.
ibid. = Inst. IX 4,75.
ibid. = Inst. XI 3,108 et 110. Cum codices C. tertiae classis (γ) et codex pessimus alterius classis (β) E ‚inauditum' tradant, quae scriptura confirmari videtur Aquilae Romani testimonio, recte tamen editores iam diu usitatissimo verbo praeferunt graviorem scripturam meliorum C. codicum et Quintiliani ‚non auditum'.'

ib. 1,2 = Inst. IV 1,67; IX 2,51.
ibid. = Inst. IV 2,131.
ibid. = Inst. IV 2,109. Codices Q: AB tradunt ‚legatus in Africam C. Considio profectus est' [1]), quacum scriptura consentit *a*; cuius verborum structurae hoc loco etiam scholiastae Gronoviani testimonio [2])

bius monet IX 1,33: ‚nam et geminatio verborum habet vim, leporem alias, et paulo immutatum verbum atque deflexum, tum in extremum conversio, et in eadem verba impetus et concursio et adiunctio . . . .' (cf. etiam IX 3,28 sqq.). Ut vero in *iudicando* hoc genus est aptissimum (cf. § 82: ‚restitui sum iussus. Restituisse te dixti: nego me . . . . restitutum esse'), ita *narrationi* verba ita composita minus conveniunt. Nonne putas oratorem, si legas: ‚. . . tantum, ut, unde deiecisset, restitueret. Restituisse se dixit . .', statim adiuncturum esse, cur illa verba nulla voce interiecta ita extulerit, quid de illa restitutione iudicet? Conferas in eadem parapraphо: ‚laedit improbitas. Improbus fuit, *quod homines coegit, armavit* . . .' vel praeclarum illud exemplum, quod ex Cat. I 1,2 (ubi sane etiam *eandem* verbi formam iterum legimus), affert Quintilianus IX 3,44: ‚hic tamen vivit: vivit? immo vero etiam in senatum venit' et sqq. At tam placide, ut ita dicam, per particulam illam ad finem perducitur narratio, ut apud Ciceronem restituere eam non dubitem, quamquam codicum C. quoque scripturam ferri posse non nego. Itaque librarium quendam aut omisisse aut, si forte comparaverit § 60, ut acrior fiat oratio, ‚deinde' delevisse putaverim.

[1]) Cum Halmius et Meisterus male scripserint ‚cum C. Considio', optimorum illam Q. codicum scripturam recte nunc praefert Radermacherus.

[2]) Cf. Schoellium l. c. p. 490, cui assentitur Reederus l. c. p. 22.

comprobatae, qui exhibet ,Q. Ligarius legatus cum Considio fuisset, profectus Africam . . . . .', nonnulla exempla exstant apud Ciceronem, velut in Mur. §§ 20, 32; contra quae testimonia quid valet illa Luterbacheri[1]) dubitatio, qui offendit in constructione verborum optimos codices C. vocem ,cum' exhibere falso ratus? Neque enim recte offendit, ut credo, in illis criticus. Immo oratorem verba ,legatus in Africam' coniuncta pronuntiasse putaverim, ita ut verba ,in Africam' inter ,legatus' et ,C. Considio' inserta vix offenderent quemquam. Recte igitur Eberhardus consensum illum nunc[2]) sequitur.

ib. 2,4 = Inst. IV 2,108.[3])

ib. 3,6 = Inst. XI 3,166. Confirmatur codicum Q. scriptura, qui praebent ,populus hoc Romanus', non modo a, quocum libro prorsus consentiunt, sed etiam m, qui liber praebet ,pop. hoc Rom. hoc'. Adeo non est usitata illa codicis a collocatio, cuius testimonium neglexit Reederus[4]), ut vel per se vix verisimile sit hanc scripturam ortam esse ex tritissima illa, quam praebent prima et altera familia, recipit post Muellerum Clarkius, probat Reederus, scil. ,hoc populus Romanus'.[5]) Quo

[1]) l. c. (1901) p. 217; ib. (1905) p. 259.

[2]) in quarta sua Caes. editione.

[3]) Quem locum hic commemoravi propter verba ,pacem esse expediret'.

[4]) l. c. p. 25; non recte hoc quidem loco tertiae familiae scripturas tam parvi aestimat Reederus!

[5]) Simili modo graviorem collocationem verborum praebet Fabius Inst. IX 2,18 = Mur. 37,80 ,si hoc eos nomine', cum C. libri tradant ,si eos hoc nomine', quod Muellerum, Landgrafium, Clarkium prorsus neglexisse miror; etsi enim nulla exstarent exempla huius dictionis, Quintiliani tamen scripturam exquisitiorem non reicerem; quam eo magis praetulerim, quia Quinct. 56 quoque legimus: ,quo te nomine appello', Verr. IV 1: ,quo id nomine appellandum putetis' etc.

Cum vero Landgrafius in sua Mur. editione mire proferat ,„atque haec cives, cives" Quint. IX 2,18', cum Meisterus apud Quintilianum mire scribat ,cives, cives' contra codices qui praebent nihil amplius quam ,cives (cuius A) inquam, si . . . fas est', Clarkius in apparatu praebet ,„cives, cives" ψ^2 . . .: „cives" φ, Quintil. IX 2,18': sed omnino de hac quidem re adhibendus non est Fabius, quippe qui initium huius enuntiationis non afferat, ita ut de iterata voce ,cives' ex hoc loco nihil effici possit.

Addamus Inst. VIII 5,10 = Lig. 3,10, ubi quam Fabius praebet verborum collocationem: ,eorum te ipsorum ad crudelitatem acuet oratio' praeferendam esse C. codicibus, qui ,te' post ,crudelitatem' exhibent, etiamsi non confirmaretur Diomedis testimonio, recte monuit Schoellius (l. c. p. 492) assentientibus Luterbachero et Reedero (l. c. p. 24), quam haud recte reiecerunt editores etiam novissimi velut Clarkius, Eberhardus.

ipso codicum Q. et quorundam C. librorum consensu refutatur Reederi sententia, qui putet illud codicum Q. ita natum esse videri, ut in contextu ,hoc' supra versum scriptum in eum locum quo iam exstat, pervenerit. Quod vero hic, quia ,populus Romanus' quasi una vox sit non dirimenda, praefert usitatam scripturam, ipse tres affert locos, ubi separantur illa verba, scil. Arch. 21 (non 2!), Sest. 74, ib. 129. Cum autem Arch. 21 et Sest. 74 separationem ex lege quadam fieri recte admoneat, altero Sest. loco affirmat ne eum quidem comparandum esse, quandoquidem, ut dicit, pronomen ad notionem populi Romani ipsam referendum sit. Sed si re vera ,populus Romanus' quasi una vox esset non dirimenda, Cicero dixisset ,ipsius populi Romani' ut dixit aliis locis; praetulit illam collocationem, quia gravior visa est ei: Ut maxime est efferendum illud ,hoc' in enuntiato, quod hic legimus: ,quantum potero voce contendam, ut populus *hoc* Romanus exaudiat', ita effertur maxime tam inusitata collocatione, quae occurrit apud Quintilianum. Neque igitur recte Orellii, Halmii, quos commemorat Schoellius[1]), iudicium reicit Reederus.

ib. 3,7 = Inst. IX 2,14.

ib. 3,8 = Inst. V 10,93 ,audeam dicere' exhibent α et Quintilianus (A B), ,audeam confiteri' γ, ,non audeam confiteri' β. Postquam Madvigium[2]) secundae familiae scripturam iniuria defendisse egregiumque con-

[1]) l. c. p. 495: ubi etiam Eberhardum nominat, qui tamen nunc scribit ,hoc populus Romanus'.

[2]) in opusc. acad.[2] p. 646 adn.

sensum *α* classis et Quintiliani probandum esse tam bene ostendit Schoellius,[1]) Luterbacherus tamen[2]) illam *β* classis scripturam praefert: sed argumentatio eius, ut puto, etiam Reedero tam alte visa est repetita et mira, ut hic omnino non afferret eam in tractando hoc loco.[3]) Et re vera, unde habet Luterbacherus mendacem confessionem, qua Cicero Caesarem decipere non audeat? Quam sententiam, quae verbis oratoris nullo modo subest, perverse illis substituit, cum a totius loci conexu prorsus aliena sit neque digna oratore. —

Recte vero Reederus admonet non ‚Ligario' scribendum esse, ut Schoellius proposuit, confirmatum quidem scholio Gronoviano et altera manu Bg; certe enim haec scriptura multo potius corrupta esse videtur praecedentibus verbis ‚de me*o* fact*o* non dubitem, de . .' quam familiae *α* scriptura ‚Ligari'. Immo de Ligarii facto hic agitur ut § 29 ‚num de *eius facto dicere*', § 30 ‚de facto Ligarii . .'

ib. 3,9 = Inst. IX 2,57.

ibid. = Inst. IX 4,99.

ib. 5,15 = Inst. VIII 3,85.[4]) Legimus apud Quintilianum ‚in tanta fortuna bonitas', ‚in hac tanta tua fortuna lenitas' in plurimis C. libris. Cum Schoellio eius scriptura non displiceat, a Luterbachero Fabius in § 85 componenda levitatis insimulatur, cum Reederus memoriam rhetoris reprehendat. Audias igitur, quae dicat Fabius, ubi de orationis ornatu, qui per emphasin fit, verba facit: „sequens (scil. ἐμφάσεως species) posita est in voce aut omnino suppressa aut etiam abscissa . . . . Supprimitur vox, ut fecit pro Ligario Cicero: ‚quodsi in tanta fortuna . . . . intellego quid loquar'. Tacuit enim

[1]) l. c. p. 490 sqq.; consensum illum recte secutus est Clarkius.

[2]) l. c. (1901) p. 218; eandem scripturam etiam nunc praefert Eberhardus.

[3]) l. c. p. 22.

[4]) Fabium ‚quodsi' afferentem pro ‚si' errasse consentiunt critici, quia post verba ‚dicam plane, Caesar, quod sentio' nullo modo ferri potest.

illud, quod nihilominus accipimus, non deesse homines, qui ad crudelitatem eum impellant; abscinditur per ἀποσιώπησιν". Ad quae verba Reederus[1]) adnotat Luterbacherum[2]) secutus: ‚Quae Quintilianus Ciceronem tacuisse dicit, orator in sequentibus verbis copiose tractat. Quomodo haec difficultas explicanda et tollenda est? . . .' Qua re nihil facilius: Non omnino tacuisse oratorem illud Fabius contendit, at tacuisse eum in hoc quod affert enuntiato; atque id summo iure. De hac quae est in hoc enuntiato, figura verba facit Quintilianus! Praeterea num opus fuit ea quae in enuntiato aliquo per ἀποσιώπησιν tacentur, etiam ceteris verbis taceri? Minime, ut testatur ipse Fabius IX 3,60, ubi dicit de ἀποσιωπήσεως figura: ‚illa quid taceat incertum est aut certe longiore sermone explicandum . . .', quo testimonio et Luterbacheri et Reederi refutantur argumenta. Satis enim plene non modo ante sed etiam post illud enuntiatum explicat orator, quid significet.

Sed ad singula transeamus: ‚hac' omittit Fabius et *α*; ad quem codicum consensum accedit, quod supervacanea est vocula. Si igitur iure alio loco Reederus brevitatem concinnitatemque huic ipsi orationi propriam effert, ei delendum fuit ‚hac', quia optime respondent verbis ‚in tanta fortuna' ‚bonitas tanta'. Sed profert[3])

[1]) l. c. p. 31.

[2]) l. c. p. 219.

[3]) l. c. p. 26. — Ceterum non hoc uno tantum loco Fabius, cum omittit huiusmodi voculam, meliorem praebet scripturam: cf. Mil. 27,72 = Inst. V 11,12; IX 3,28, ubi omittunt codices Q. pronomen ‚suo' ante ‚periculo'. Sed etsi utraque scriptura sententiaque ferri potest, tamen, quia non additum est, a quanam re ille patriam ‚suo periculo' liberaverit, praetulerim Fabii scripturam, praesertim cum tam accurate tot verba ex illo loco afferat Quintilianus.

Deinde commemorem Caec. 12,34 = Inst. V 11,33, ubi ‚mea' tradunt libri C., non tradunt codices Q. Sed legimus § 35 ‚si *te* hodie domum *tuam* redeuntem . . .', § 36 *te* restituat in aedis *tuas* . . .', § 37 ‚*tu* solus prohibitus et a *tuis* aedibus . .'? Verum quod in hos cadit locos, non cadit in illum, quia, cum priore

idem verba repudiata (nam ‚tua' quoque omittit Fabius) orationi maxime convenire: ‚si . . . in eis quae sequuntur, clementiam Caesaris summam copiosa oratione laudat, talis verborum accumulatio naturae totius loci aptissima videtur neque offensioni esse potest . . .' Miram conclusionem! Cur Caesaris clementiam ita efferat, nullo modo oratori causa deest: quod vero fortunam illius ita efferat, non habet Cicero, qui tantam illius fortunam certe non laudavit. Recte igitur post Nohlium Clarkius, nunc etiam Eberhardus omittunt hanc vocem.

Concinnitatis gratia orationis illud ‚tua' quoque fortasse delendum est contra codices C., praesertim cum saepius vel in hac una oratione eiusmodi pronomina addita esse a librariis Schoellius admoneat.[1])

ib. 6,19 = Inst. IX 3,36.
ibid. = Inst. V 14,1.
ib. 10,30 = Inst. VII 4,17.
ib. 10,31 = Inst. V 10,93. ‚sperandi de

loco (§ 34) illud ‚mea' nullo modo efferendum sit, — agitur de *argumento* ex dissimili ducto: ‚si qui me *exire* domo (mea) *coegisset* armis, *haberem* actionem, si qui *introire prohibuisset, non haberem*?' — posterioribus locis pronomen possessivum abesse minime potest — maxime interest, *cuius* sit domus, a quo prohibetur ille: ‚si *te* hodie domum *tuam* redeuntem ..... prohibuerint..' etc. —. Quare Quintiliani scripturam praeferre non dubito.

Comparemus cum his locis Cat. I 11,27 = Inst. IX 2,32, ubi aptissimum est illud ‚mecum patria *mea*' Fabii, cum C. libri omittant ‚mea', cum propter insequentia verba, quae multo artius meliusque cohaerent cum praecedentibus si legas ‚patria mea, quae mihi vita mea multo est carior', quam si omittas ‚mea' (cf., ut nostro sermone utar: ‚mein Vaterland, das mir viel teurer ist als mein Leben', et ‚das Vaterland, das mir viel teurer ist als mein Leben'!), tum propter verba ‚vita mea' (Conferas Balb. 26: ‚etenim cum pro *sua patria* pauci ...... reperti sint, qui ..... *vitam suam* ..... obiecerint'). Nihilominus Muellerum Halmium secutum, quocum consentiunt Richterus—Eberhardus, Clarkius, pronomen ‚mea' in textum non recepisse miror, quam voculam eo minus reicere debuit ille, quia ex Isid. Origg. II 13,1 affert ‚etenim si mecum patria *mea*, quae ..'.

[1]) l. c. p. 497.

Ligario causa non erit' praebet α, ‚sperandi Ligario causa non sit' βγ et Quintilianus. Utrum ‚de Ligario' scribendum sit an ‚Ligario', codicum fide praetermissa diiudicari nequit, quia utraque scriptura ferri potest. Haud idem cadit in formam ‚sit' pro ‚erit', quia coniunctivus potentialis, qui dicitur, certe lepidioris est sermonis quam futurum ‚erit', atque multo inusitatior in huiusmodi sententiis.[1]) Itaque vel per se praeferenda videtur Fabii scriptura, ut recte praetulerunt post alios Muellerus, Laubmannus, olim Eberhardus, qui nunc cum Clarkio α classis receperit scripturam, nisi quod ille praepositionem ‚de' delevit, hic non delevit. Accedit enim ad β et γ Quintiliani testimonium. Reederus vero, cum familiae β refutare conetur scripturam, profert[2]) formam ‚sit' sequenti coniunctivo ‚sit' adsimulatam esse veri esse simillimum; nam tales accommodationes saepius in β classe exstare (sequuntur exempla); idem valere ait etiam de dativo ‚Ligario' pro ‚de Ligario' α librorum, qui casus adsimulatus sit pronomini ‚mihi' ex nimio studio concinnitatis et responsionis; id in β crebro accidere compluribus ex locis apparere (huius quoque rei afferuntur exempla). Itaque librario archetypi librorum β illud ‚sit' tribuendum esse demonstrare velle Reederus videtur. Ad quam sententiam vix quadrant, quae addit verba, quibus Quintiliani et β familiae consensum explicare studet: ubi putat illum ‚errorem' rhetori ipsi crimini vertendum esse, cuius lectionem in alteram familiam illatam esse existimet. Omnino vero quantopere haec sententia veri non sit similis, dubium esse vix potest. Immo unde orta sit illa praepositio, non difficile est intellectu, si respicias in § 29 ‚*in* causa Ligarii', ‚*de* eius facto', § 30 ‚*de* facto Ligarii', § 31 ‚*pro* Ligario', § 32 ‚*in* Ligario', ex quibus praepositionibus nulla erat aptior quam ‚de'.

[1]) cf. ad h. l. Eberhardi adnot.

[2]) l. c. p. 23 sqq.

ib. 12,37 = Inst. VIII 5,3.
Mil. 1,1 = Inst. IX 4,74.
ibid. = Inst. IX 4,93.
ib. 4,9 = Inst. VIII 5,11.
ib. 4,10 = Inst. V 14,19.
ibid. = Inst. V 14,17.[1]
ib. 10,28 = Inst. IV 2,57.
ib. 12,33 = Inst. IX 2,56.[2]
ib. 22,59 = Inst. IX 3,30.
ib. 29,79 = Inst. V 14,2.[3]
ib. 34,94 = Inst. IX 3,23.
ib. 38,105 = Inst. XI 3,173. Contra plurimos codices C. et omnes libros Q. Clarkius scribit ‚possumus' pro ‚possum' secutus libri *H* scripturam, quocum consentiunt $B\Sigma^{(?)}$, vix recte, quia hic certe non est, cur plurali numero utatur Cicero.

Mur. 5,11 = Inst. IV 5,12.[4]
ib. 8,17 = Inst. V 11,11.
ib. 9,21 = Inst. V 13,27. Iniuria certe reiecerunt Mur. editores ‚habitarunt' codicum Q., cum

[1]) In HB*Σ* ‚exspectari *vo*lunt' effectum videtur insequentibus verbis ‚qui exspectare *velit*'.

[2]) Cum C. codices modo ‚adspicio' praebeant, modo ‚aspicio', velut hoc Mil. loco ‚adspexit', Phil. II 33 VD ‚aspexerint', dom. 124 nullus codex ‚adspicere', Verr. tamen IV 48 R ‚aspexerat', G 3 ‚adspexerat', Q. codicum scriptura, qui non modo hoc Mil. loco ‚d' litteram omittunt, sed etiam aliis locis, velut IV 5,5; VI 1,43; IX 2,43; IX 4,115; XII 8,10, confirmatur (cf. etiam Brambachium l. c. p. 296 sqq.) ut grammatico Prisciano (II 35 et 47 H.) ita inscriptionibus (CIL I 1009, 1027).

[3]) Contra C. codices ET et Cassiodorum, qui ‚nolletis' scribunt effectum scil. antecedentibus verbis ‚se*detis*' et ‚pu*tetis*', rectius ‚nolitis' codicibus C.: H*δ* comprobatum tradit Fabius.

[4]) Quod ‚tris ... partis' praebent codices Q. praeter A, hanc formam comprobatam non modo hoc loco nonnullis C. quoque libris, sed etiam aliis locis libris Q. (‚tris' B II 17,14 et IV 1,50; AB V 10,63; AG VII 1,38 et VII 3,8 et IX 4,79 et IX 4,80; ‚partis' A V 10,63 et VIII 6,65; AG IX 4,68; Bn XI 1,6; B XI 3,1; G XII 10,58) et libris C. (‚tris' LG 42 Verr. II 42; V Phil. II 55; ‚partis' PG har. resp. 61 et Vat. 29, Bψ^2a Cluent. 1 et

libri C. $\Sigma\pi\psi^1\omega$ exhibeant ‚habitarint', accommodatum, ut videtur, modis verborum ‚fueris', ‚attigeris', ‚afueris', ‚veneris'. Sed nullo modo quod in illa verba, cadit etiam in hoc verbum, ut contra Muellerum, Landgrafium, Clarkium dissimilitudinem modi probandam esse persuasum sit mihi, praesertim cum consentiant cum Q. libris C. codices $A\chi\psi^2$.

ib. 29,60 = Inst. VIII 6,30.[1]
ib. 36,76 = Inst. IX 3,82.
ib. 39,83 = Inst. V 10,99.[2]
Phil. II 25,62 = Inst. IX 2,47.[3]
ib. 25,63 = Inst. VIII 4,16; IX 4,23.
ibid. = Inst. VIII 4,8; XI 3,39 et 167 et 172.
ib. 26,64 = Inst. IX 2,26; IX 3,29.[4] Quod codices C. abgt praebent ‚animo haeret', hanc scripturam ut Clarkius praetulit, ita ceteri quoque recentiores fortasse praetulissent editores codici V, qui tradit ‚haeret animo' (vel potius ‚haberet a.'; ‚haeret a.' Faernus), nisi Madvigii auctoritate adducti constructionem verborum non recte intellexissent; qui,[5]) quia ‚animo' cum ‚haeret' coniungendum esse censuit, codicis V scripturam

saepius: Neue-Wag. I^3 p. 389), confirmatam ut grammaticis (cf. Neue-Wag. I^3 p. 375 sqq.) velut Prisciano II 375 sq. H.), Servio (ad Aen. I 108), Consentio (V 356 K.) ita ipsis inscriptionibus (cf. Keller, Grammat. Aufsaetze, p. 289 sqq., 319 sqq.; Neue-Wag. I^3 p. 393) recte receperunt Muellerus, Clarkius.

[1]) Quod ‚ill*i* fortissimo viro' proposuit Luterbacherus l. c. 1905 p. 253, haec coniectura minime necessaria refutatur vel consensu codicum C. et Q.

[2]) Num recte Q. editores codicis A reiecerint scripturam, qui ‚L.' praebens ante ‚Catilina' consentit cum libris C., valde dubito.

[3]) ‚hereditatum' habent codices C., item Q. codex A, cum B exhibeant ‚hereditatium'; sed cum tritior fuerit illa forma in huiusmodi nominibus (cf. Neue-Wag. I^3 p. 108 sq.), codicum B scripturam alio loco (dom. 35) ipsis C. codicibus comprobatam contra orationis editores probaverim.

[4]) ubi a priore voce ‚bona' aberrasse videtur, qui archetypum scripsit, ad posteriorem vocem ‚bona'.

[5]) op. acad.[2] p. 117.

praetulit; sed quo pacto contendit illud Madvigius? Nonne prorsus eodem modo legimus Quir. 25: ‚Atque haec cura, Quirites, erit infixa animo meo sempiterna‘, nisi quod pro ‚haeret‘ legimus illo loco ‚erit‘? Certe non ita iudicasset ille doctissimus vir, si codicum Q. scripturam non neglexisset, qui IX 2,26 (IX 3,29 omittunt haec verba AG) tradunt ‚infixus tamen pectori haeret dolor‘, qua scriptura reicitur Madvigii sententia,[1]) confirmatur is verborum ordo, quem retinuerunt libri C. a b g t. Omnino autem verborum ordinem hoc loco Quintilianus praebet exquisitiorem, qui tradit ‚infixus tamen‘, cum in C. codicibus legamus ‚tamen infixus‘; qui IX 3,29 tradit ‚acerbissimae voci‘, cum C. libri exhibeant ‚voci acerbissimae‘.

Quod vero ‚pectori‘ tradit Fabius, altius hoc verbum tritissimo illi ‚animo‘, quod praebent libri C., praeferre non dubito, praesertim cum ipsum verbum ‚infixus‘ magis conveniat voci ‚pectori‘ quam ‚animo‘ (cf. etiam ‚Thes. gloss. emend.‘ s. v. ‚imo pectore‘ et ‚sub pectore‘).

ib. 27,67 = Inst. VIII 6,70; XII 10,62 V, quem codicem secuti sunt orat. editores, tradit ‚animal (vel potius ‚anima‘) unum fuit‘, cum Quintiliani scriptura, qui exhibet ‚fuit animal unum‘, confirmetur C. codicibus a b g t itemque Clarkii codicibus n l c, qui omnes primo loco ponunt verbum ‚fuit‘. Itaque haec etiam per se

[1]) quam omnino falsam esse vel ex ipsius Ciceronis verborum usu cognosci potest, apud quem legimus Deiot. 39: ‚haerere *in* animis hominum‘, Cat. IV 22: ‚quae non modo in hoc populo ... sed *in* omnium gentium sermonibus ac mentibus semper haerebit‘; neque enim *dativus* ‚animo‘ cum ‚haeret‘ coniungitur: significat ‚haerere alicui‘ ‚einem anhaften‘, ‚mit einem verbunden, verkettet sein‘, ut Sest. 62: ‚haereret illa ... reipublicae turpitudo‘; de qua constructione hoc loco non agitur. Itaque quod Kochius-Eberhardus adnotant ad hunc locum, cassum est. Quo loco facere non possum, quin reprehendam cum Halmium Meisterumque, qui IX 3,29 ex Ciceronis vulgata potius quam ex ipso Quintiliano suppleverint ‚..haeret animo dolor..‘, tum Clarkium, qui adnotet ‚„animo haeret“ D et Quintil.‘, cum neutro loco *codices* Q. hoc tradant.

aptissima[1]) scriptura vera videtur esse, quacum quodam modo consentit Servius, qui (ad Aen. III 420) eadem ratione qua Fabius efferenda voce ‚unum‘ claudit haec Ciceronis verba. Nam quod Senecae patris testimonio, qui Suasor. VI 5 affert haec verba, confirmari videtur codicis V scriptura, cum hic quoque tradat ‚animal unum fuit‘, non modo omnino haud accurate affert Seneca illa, id quod etiam ad ordinem verborum pertinet, sed etiam cum haec tradit, tradit tritiorem ordinem. Contra comprobatur ille ordo, quem Fabius servavit, egregie libro C. b, qui, cum exhibet ‚fuit animal vivum‘ consentit, quod iam commemoravimus, cum libris C. a g t et cum Quintiliano de verbo ‚fuit‘ primo loco posito, non consentit cum ceteris illis C. codicibus, consentit cum Quintiliano de voce ‚animal‘ secundo loco posita.

Phil. IV 3,8 = Inst. IX 3,86.[2])
Phil. IX 3,7 = Inst. VII 3,18.
Phil. XI 6,14 = Inst. VIII 3,29.
Pis. 13,30 = Inst. IX 3,67.

Quinct. 1,4 = Inst. XI 1,19, ex quo Fabii loco non modo sanare debebat Muellerus verba quae C. codices plurimi[3]) corrupta tradunt, sed etiam quod ad verborum ordinem pertinet: Ut enim verba, quae inter se coniungenda sunt, scil. ‚minus‘ et ‚possum‘, melius

[1]) Quis est qui, si ad repetitam vocem ‚fuit‘ animum adverterit, illi verborum ordini ‚quae si *fuit*, animal unum *fuit*‘ non praeferat hunc: ‚quae si *fuit*, *fuit* animal unum‘? qui, si efferendam vocem ‚unum‘ respiciat, illi codicis V scripturae non praeferat hanc librorum Q. (cf. Verr. V 2,4 = Inst. IX 2,47, ubi eodem modo apud Quintilianum illa, quae effertur, voce clauditur enuntiatum)?

[2]) Aberravit librarius archetypi librorum Q. a priore voce ‚hostis‘ ad alteram, unde omittunt illi verba ‚si conservator .... Brutus‘.

[3]) qui exhibent ineptum illud ‚quo‘ excepto B qui consentit cum Fabio: quisnam sibi diligentiam ‚comparare‘ potest? Quapropter etiam Kayseri scriptura est reicienda, qui scripsit ‚subsidium‘ et ‚diligentiam‘; immo ablativus ‚diligentia‘, quem legimus in Q. libris et in codice C: B, optime respondet ablativo ‚ingenio‘.

inter se coniunguntur, si hanc potius probemus scripturam ‚quod ingenio minus possum' quam ‚quod minus ingenio possum', ita tum ille librarii error facilius intellegi potest, qui pro ‚qu*od* inge*nio*' scripsit ‚qu*o* inge*nio*'.

Rab. perd. 11,31 = Inst. VII 1,9.
Rab. Post. 17,46 = Inst. XI 3,172.
Tull. 6,14 = Inst. IV 2,131.
ib. 24,56 = Inst. V 13,21.
div. Caec. 2,4 = Inst. IX 2,59. Recte exquisitiorem deteriorum C. codicum scripturam, qui ‚eos' post ‚habere' tradunt, confirmatam Quintiliani testimonio, cum meliores C. libri ‚eos' ante ‚habere' exhibeant, post alios receperunt Muellerus, Richterus — Eberhardus.[1])

Verr. a. sec. I 1,1 = Inst. IX 4,119.
ib. 24,63 = Inst. IV 2,2.
ib. 30,77 = Inst. IX 1,16.
Verr. IV 17,37 = Inst. IX 2,52.
ib. 26,57 = Inst. IX 2,61. Omittunt meliores libri C. post ‚anulos' adiectivum ‚aureos':[2])

1) Non receperunt C. editores Fabii scripturam Cael. 13,32 = Inst. V 13,30 eadem de causa praeferendam atque div. Caec. 2,4. Nonne aptius legimus ‚quae si aurum se Caelio commodasse . . .' quam ‚quae si se aurum Caelio commodasse . . . .' ut tradunt libri C.?

2) Simili de causa adiectivum quoddam intercidisse videtur in libris C. Verr. V 44,117 = Inst. VIII 4,19; IX 2,51. Exhibent codices C:R ‚homo nobilissumae civitatis', ‚nobilissimae civ.' omissa voce ‚homo' Vdett., ‚homo nobilissimus summae civ.' codd. Lamb., ‚homo nobilis summe' G 12. Contra tradunt libri Q:A ‚nobilissimae civ.' et VIII 4,19 et IX 2,51, B utroque loco ‚nobilis nobilissimae civ.'

Primum ad delendum supervacaneum illud ‚homo', quod omittunt et libri Q. omnes et libri C. deteriores et pal. Vatic., sufficere videtur huiusmodi codicum consensus, praesertim cum tam saepe legamus ‚homo nobilissimus' velut in hac ipsa oratione § 108 (cf. etiam § 111 ‚homo domi suae nobilissimo loco natus'), ut facile intellegamus addi potuisse illam vocem.

Quod vero maioris est momenti: ex omnium codicum et C. et Q. scripturis apparet ante ‚civitatis' scriptum fuisse ‚nobilissimae' (vel potius ‚nobiliss*u*mae'); itaque vel propter hunc omnium codicum consensum reiciemus illam Memmii coniecturam, ex qua Lambinus scripsit ‚homo nobilissimus suae civitatis', quem secutus est Muellerus, nisi quod recte scripsit ‚nobilissumus'. At optime intellegemus diversas illas codicum scripturas, si a libris Q:B proficiscemur, qui exhibent ‚nobilis nobilissimae'. Nam qui scripserunt codices C: VRG 12, dett. itemque codicem Q. A vel potius archetypos horum codicum, ex haplographia litteras illas ‚nobilis' semel tantum posuerunt, cum in codicibus Lamb. confuderint illa verba librarii. Itaque cum ex nulla scriptura tam bene intellegamus varias codicum scripturas, quam ex aptissima illa codicum Q:B, quid ex hac ipsa re aliud coniciemus atque hoc, scripsisse Ciceronem ‚nauarchus nobilis nobilissumae civitatis', praesertim cum nobilitatem et huius viri (§ 105) et huius civitatis (§ 83 sqq.) adeo efferat orator? Neque igitur recte Halmius, Meisterus utroque Quintiliani loco, Jordanus, Richterus-Eberhardus hoc Verr. loco scribunt ‚nauarchus nobilissimae civ.'

aptissimum, cum toto hoc loco aureos anulos commemoret orator. Itaque recte Richterus — Eberhardus ‚aureos' restituerunt, praesertim cum deteriorum C. librorum scriptura confirmetur Q. codicibus.

Ibidem, ubi optimi C. libri tradunt ‚ut hic modo me commonuit Pisonis anulus quod totum effluxerat', desideramus accusativum ex ‚commonuit' pendentem, ad quem pertineant verba ‚quod . . . effluxerat' atque habemus, si sententiae rationem habeas, peraptum in deterioribus libris C., qui pro ‚hic' ‚hoc' exhibent. Quorum scriptura cum comprobetur Q. libris ***AB***, quid scriptum fuerit, non dubium videtur, praesertim cum verba ‚quod totum effluxerat' aptissime hic adiciantur praegressae voci ‚hoc'. Male igitur ex libris illis C. Institutionis editores scripserunt ‚hic', cum eandem constructionem, quam exhibent libri Q., ut unum afferam exemplum, inveniamus Verr. III 40: ‚quod vos lex commonet, id in hoc loco quaeretis'.[1])

1) Eiusdem pronominis aliam formam praebent libri C., aliam codices Q. Lig. 1,1 = Inst. XI 3,108 et 110. Cum duobus locis ‚ante *ha*nc diem' praebeant hi libri, quam scripturam a Ciceronis genere dicendi minime alienam (cf. Sex. Rosc. 128, ib. 130, Verr. a. sec. I 34, Verr. IV 130) recte iam diu praetulerunt viri docti velut Wagenerus (Philol. XLVII p. 551), Schoellius (l. c. p. 489 adn.),

Verr. V 33,86 = Inst. VIII 3,64; IX 4,104; XI 3,90.
ib. 44,117 = Inst. IX 4,70.[1])
ib. 45,118 = Inst. VIII 4,27; IX 4,124.
ibid. = Inst. IV 2,106; IX 4,71; XI 1,40.

,vestitum' addita coniunctione ,que', quod exhibet palimpsestus Vaticanus, omittunt reliqui codices C.; itaque deleverunt nonnulli, quia paulo ante § 117 legimus eadem verba ,cibum vestitumque'. Sed haec quidem causa nullo modo sufficere potest. Immo ita disputemus: nauarchorum parentes *adire* cupiunt ad filios: lictor dicit ,ut *adeas* . . . .'; liberis suis *cibum vestitumque ferre* cupiunt: dicit lictor ,ut *cibum vestitumque intro ferre* liceat . . . .', ita ut re vera non habeamus, cur exstinguamus ,vestitumque'. Atque confirmatur palimpsesti V scriptura codicibus Q. IX 4,71; recte igitur, cum Muellerus secludat illam vocem, Halmius, Jordanus, Kayserus, Eberhardus receperunt.

ib. 45,119 = Inst. IX 3,34.
ib. 62,161 = Inst. IX 2,40.
ib. 62,162 = Inst. IX 4,103; XI 1,40.
ib. 66,170 = Inst. VIII 4,4.

3. Singula verba afferuntur sine discrepantia:

Cael. 14,33 = Inst. IX 4,102.
ib. 22,53 = Inst. IX 2,47.
Cat. I 1,2 = Inst. IX 2,26.
ib. 10,25 = Inst. VIII 6,41.
Cluent. 1,1 = Inst. IX 4,104.
Lig. 1,1 = Inst. IX 4,92.
Mil. 13,35 = Inst. VIII 6,7.

Luterbacherus (l. c. p. 217), Reederus (l. c. p. 24) multo minus graviori codicum C., qui ,h*u*nc' exhibent pro ,hanc' comprobatum Aquilae Romani testimonio, editorum tamen Lig. nemo Fabium sequi ausus est nisi nunc Eberhardus.

[1]) Formam ,volet' ex ,volt' natam praebent C. codices R 3: quam vetustiorem formam atque eam aliis quoque locis in C. libris occurrentem velut Verr. II 42 (,volt' V), Verr. V 128 (,volt' R) recte praetulerunt Muellerus, Eberhardus, Clarkius (cf. Phil. VIII 9,26), cum ,vult' praebeant libri editionesque Q.

ib. 20,53 = Inst. VIII 6,41.[1])
Mur. 6,14 = Inst. IX 2,26.
ib. 12,26 = Inst. VII 1,51.[2])
Phil. III 9,22 = Inst. IX 3,72.
Verr. IV 3,5 = Inst. IV 5,4.
Verr. V 45,118 = Inst. IX 4,108.

b) Non totus affertur locus: quae verba alicuius loci non pertinent ad rem, propter quam affert locum, omittit rhetor; qua de causa saepius adiectiva vel participia vel adverbia, quibus exornatur res, de qua agitur, legimus apud Ciceronem, non legimus apud Quintilianum. Caveas vero, ne in eiusmodi locis inde, quod hic non praebet vocem aliquam, quam exhibet ille, statim sive de memoria Fabii errante cogites sive de contextu verborum corrigendo.

Afferendi sunt hic loci qui sequuntur: Cael. 13,32 = Inst. IX 2.99, ubi omisit Fabius ,semper' et ,cum ea', ib. 15,35 = Inst. IX 2,60, quo loco ,iudices' praebent libri C., non praebent codices Q.

Cluent. 33,91 = Inst. VIII 6,55 codices Q. praebent ,in codice', cum C. libri exhibeant ,in eo codice'; facile ante ,*co*dice' omitti potuit ,*eo*' a librariis; sed ipsum potius Fabium consulto illud ,eo' omisisse putaverim, quia verba, ad quae refertur illud ,eo', non affert, scil. ,qui tum interlitus proferebatur'. Certum vero iudicium de hac re ferre non audeo.

Lig. 3,9 = Inst. VIII 4,27; VIII 6,12; IX 2,7 et 38; XI 3,166 non consentiunt inter sese quinque Institutionis loci: Cum legamus ,tuus ille Tubero destrictus in acie . . .' VIII 4,27 et IX 2,7 et VIII 6,12,[3]) vox ,destrictus' omittitur et IX 2,38 et XI 3,166; quam omissionem

---

[1]) Nominativum verborum invenimus apud Fabium demptorum scil. ex contextu orationis, in qua legimus , . . . insanas . . . substructiones . . . '.

[2]) Accurate afferuntur verba ,tibicinis Latini modo'.

[3]) quibus non recte Reederus (l. c. p. 16) XI 3,166 adiecit.

libidini auctoris tribuendam esse veri est simillimum, qui non affert, quae ad rem suam non pertinent.

ib. 3,10 = Inst. V 13,5; IX 2,29; IX 4,102. Eadem de causa, qua supra ,destrictus', V 13,5 vocem ,autem' omisisse Fabius videtur; minus enim putaverim librarium pro duabus vocibus ,*a*liud *a*utem' unam scripsisse.

Multa suo iure omisit verba Fabius Inst. IV 2,121; VII 1,37 = Mil. 10,29,[1]) litteras nonnullas alicuius vocis ib. 13,33 = Inst. IX 3,6, ubi, cum apud Ciceronem legamus ,inimicissimum', Fabius scripsit ,inimicum': ad figuram illam, propter quam affertur locus, intellegendam superlativus ille nihil valet; immo ad verbum animum nostrum advertere vult Fabius.

Item ib. 31,85 = Inst. XI 3,115 et 167 et 172 non legimus apud Quintilianum ,enim iam', XII 10,62 ,iam'.

Phil. II 25,63 = Inst. VIII 6,68; IX 4,44 optimi Q. codices omittunt verba ,vinum redolentibus'; neque enim erat, cur plene afferret ,frustis esculentis vinum redolentibus' Fabius, qui utroque loco non de his sed de insequentibus ageret verbis ,gremium suum et totum tribunal implevit'.

ib. 26,64 = Inst. IX 3,29[2]) illud ,Magni' peraptum est ad amplificandam sententiam, quam vocem praebent C. libri, non praebent Q. codices: nam ad geminationem, de qua agitur IX 3,29, nihil valet.

Sua vero verba (cum scripserit antea ,quibus utimur vulgo') respexit Fabius, cum Inst. IX 2,60 afferret ,imprudens incidi', non ,imprudens huc incidi', ut legimus Verr. IV 20,43; item consulto rhetorem

[1]) Codicis Q. A scriptura, qui Inst. IV 2,121 ,in tali re' exhibet, ita confirmatur testimonio non solum ceterorum codicum VII 1,37, sed etiam omnibus C. libris, ut codicum B verborum collocationem, qui scribunt ,in re tali' (unde ortum est Victoris testimonium conspirans cum B), praetulisse Radermacherum valde mirer.

[2]) quamquam quia reliqua verba non prorsus consentiunt inter se hic et illic, hic locus non numerandus est in eis, de quibus nunc agimus.

Inst. IX 3,43 = Verr. V 41,107 ,magnopere' omisisse existimaverim, ut quam apertissime ostenderet conduplicationis formam commutato verborum ordine.

Postremo commemoremus Inst. XI 3,90 = Verr. V 62,162, ubi tradunt libri C.: ,caedebatur virgis in medio foro . . .', libri Q.: ,caedebatur in medio foro . . .' Etsi necessarium hoc orationis loco non est ,virgis', quia antecedunt verba , . . . virgas expediri iubet' § 161 et ,iubet . . . . vehementissime verberari' ibid., tamen, ut ignominia illa efferatur, apta est illa vox in oratione; Quintilianus vero non ad hanc rem animos nostros advertere vult, cum haec affert, sed ad motum laterum, qualis esse ad verbera soleat: qualis vitandus sit oratori. Itaque suo iure omisit vocem, quae confirmatur Gellii testimonio (Noct. Att. X 3,12).

c) Ciceronis verba cum suorum verborum constructione contexuit rhetor. Saepius enim quae affert verba, ex *verbo* aliquo suspendit Fabius, velut ex ,dixit' (scil. ,Cicero') Inst. VIII 6,15 = Cat. I 5,12, ubi apud Ciceronem legimus ,sentina rei publicae', apud Quintilianum ,sentinam r. p.', item Inst. I 5,8 = Scaur. 20,45; ex ,vocat' Inst. VIII 6,7 = Mil. 13,34, unde pro ,gloriae suae' legimus apud rhetorem ,gloriae eius'; ex ,ostenderet' Inst. IV 2,114 = Verr. a. sec. I 30,76;

quod porro Inst. III 8,5 = Phil. VIII 1,3 legimus in libris Q. ,quid sit tumultus', cum C. codices praebeant ,quid est . . . tumultus', nemo mirabitur;[1]) praeterea pen-

[1]) Contra indicativum apud Fabium invenimus, cum coniunctivum praebeant libri C. Inst. VIII 3,22 = Mur. 11,25, ubi tradunt codices Q. ,confixit', C. ,confixerit'; sed quia apud Ciceronem praegrediuntur verba ,inventus est . . . . . qui', in oratione nihil mutaverim; immo ipse Fabius, quod non affert illa verba, ex quibus pendent ea quae affert, non habuit, cur coniunctivum poneret.

Item Fabius Ciceronis verba commutavit IX 3,13 ubi scripsit ,contumeliam fecit', cum apud ipsum Ciceronem legamus Phil. III 9,22 ,contumelia, quam facit . . .' et ,contumeliam facere'.

dent verba allata Inst. XII 11,6 (= Cael. 4,9) ex ,Cicero profitetur‘,

Inst. XI 1,44 (= div. Caec. 13,41) ex ,confessione‘,

Inst. IV 5,11 [1]) (= Cluent. 4,9) ex ,se dicturum esse promisit‘ (scil. ,Cicero‘).

[1]) Suo iure omittit Fabius verba ,primum‘, ,esse‘, ,ea de eo‘ etc. Praeterea quod exhibet ,quam Oppianicum‘, quae verba non legimus in C. libris, apud Fabium quidem ea necessaria sunt, apud Ciceronem essent supervacanea, quia in oratione paulo ante nominatur Statius Albius Oppianicus.

Saepius hoc modo vocem aliquam addit Fabius Ciceronis verbis, ut qui legant, statim sciant de qua re agatur, unde sumptum sit, quod affert, velut ,Verrem‘ Inst. IV 1,49 = div. Caec. 1,1, quae vox in oratione si insereretur, satis esset inepta, quia minus cum Verrem accusat, declinat orator a priore sua consuetudine quam omnino cum accusat, ut ipse Quintilianus dicit IX 2,17 ,quod ad accusandum descendat qui semper defenderit‘.

Item Inst. IX 3,11 = Verr. V 44,116 in initio enuntiati posuit rhetor ,Timarchides‘ nomen antecedentibus a Cicerone adiunctum.

Adiciamus Lig. 1,2 = Inst. XI 3,162. Tradit Quintilianus ,cum esset in Africa nulla belli suspicio‘, cum apud Ciceronem legamus ,cum esset nulla belli suspicio, legatus in Africam . . .‘. Sed alio loco, scil. Inst. IV 2,109 legimus verba ita, ut tradunt libri C. Unde orta est haec scripturae discrepantia? Reederus quidem (cf. apud hunc p. 16—20), ut videtur, eam ita explicare vult, ut memoriae ipsius Fabii deficienti illum locum tribuat, qui a C. libris dissentit; quae explicatio num probanda sit, valde dubito. Immo respicias velim Fabium insequentia illa verba ,legatus in Africam...‘ Inst. IV 2,109 afferre, XI 3,162 vero non afferre. Cum igitur legentes illo loco statim scirent, de qua re ageretur, hoc loco minus scirent: nisi attulisset rhetor agi de rebus a Ligario in Africa gestis, nisi inseruisset illud ,in Africa‘. Quae enim verba, si insequentia respicias, facilius hic adhiberi potuerunt? Sententiam sane enuntiati verbis additis aliquid mutari: hoc neglexisse videtur rhetor.

Claudatur haec enumeratio Mil. 31,85 = Inst. IX 2,38; XI 1,34; XI 3,115 et 167 et 172; XII 10,62. Legimus IX 2,38 ,vos enim iam ego‘, cum neque ceteris illis locis in libris Q. neque hoc Mil. loco in C. libris illud ,ego‘ inveniamus. Summo iure hanc Fabii scripturam neglexerunt Milonianae editores: neque enim aptum, immo languidum esset illud ,ego‘ post ,vos enim iam‘. Cur nihilominus scripsit Quintilianus ita? (Non respondet ita

Inst. VI 3,109 (= Cat. IV 2,3) ex ,dixit‘,

Inst. IV 1,49 (= div. Caec. 1,1) ex ,dicit‘,

Inst. V 14,35 (= Mil. 4,10) ex ,Ciceronem dixisse‘, ubi suo iure Fabius, cum antecedentia non afferat verba, ,enim‘ omittit;

restat, ut disputemus de Inst. VI 5,9 = Cluent. 1,1, ut adscribunt ad hunc Inst. locum Q. editores comparantes cum Fabii verbis ,quod iudicii corrupti . . . . quam negare propter inveteratam, ut ipse dicit, infamiam' Ciceronis verba ,invidia iam inveterata iudicii Juniani‘; sed ne putes velim illo Inst. loco ita coniungendum esse ,inveteratam‘ et ,infamiam‘, ut haec verba ita composita pronuntiasse Ciceronem existimavisse Fabius videatur: Immo verba Fabii redeunt ad § 4 ,*negem* fuisse illam *infamiam iudicii corrupti?*‘ At illud ,inveteratam‘ sumpsit ex prima paragrapho, atque ad hoc tantum verbum refertur illud ,ut ipse dicit‘. Neque igitur ad ullum memoriae Fabii errorem confugiendum est hoc loco.

quaerentibus Reederus, qui de his locis verba facit.) Inseruit illud ,ego‘, ut, cum non afferat verba ,imploro atque testor‘, nos tamen hoc *invocationis* (cuius illustrandae causa laudat hunc locum IX 2,38) exemplum, constructionem scil. verborum statim intellegamus. —

Ceterum illo Cluent. loco formam ,te*mp*tatum‘ omnibus codicibus Q., nonnullis (st) libris C. hoc loco, aliis locis aliis codicibus velut G Sex. Rosc. 13, G 2 L d Verr. II 105, deinde optimis aliorum scriptorum codicibus, postremo ipsis inscriptionibus (cf. Georges: Lex. d. lat. Wortformen, p. 678, Corssenius l. c. I² p. 122, Kellerus l. c. p. 123 et 279) confirmatam recte praetulerunt Muellerus, Faussetius, Clarkius.

II.

Consentiunt libri Q. cum nullo codice C.

a) **Ordo verborum**, quae afferuntur, non idem est in C. et Q. libris. Inter multos locos, qui hic sunt afferendi, primo commemoremus loco eos, ubi codicum C. praeferenda videtur scriptura, velut Rab. Post. 3,7 = Inst. IX 3,6, ubi codices C. tradunt ‚fabricatus gladium est', ut paulo post in eadem paragrapho ‚seiuncta a senatu est', cum Quintilianus ‚fabricatus est gladium', tritiorem verborum praebeat compositionem; qui figurae tantum causa haec afferat.[1])

Item Verr. V 44,116 = Inst. IX 2,57, ubi legimus apud Fabium ‚ipsum adulescentem dicere audistis', in C. libris ‚ipsum dicere adulescentem audistis', tritiorem Q. codicum scripturam recte non praetulerunt orationis editores.

Ibid. = Inst. IX 3,11 verba ‚a securi', quae in codicibus C. ante ‚negat' legimus, libri Q. exhibent post ‚periculum'. Sed cum Cicero, ut verbis

[1]) Contra Rab. Post. 10,28 = Inst. IV 2,18 exquisitiorem, quem Rab. Post. 3,7 C. libri servaverunt verborum ordinem Q. libri exhibent, qui cum illi tradant ‚ventum est Alexandriam', praebent ‚ventum Alexandriam est', quam scripturam recte Klotzius in textum recepit.

Ceterum quam hic praebent codices C: E G C N (ex Muelleri significatione) scripturam vocis ‚Alexandrea' Muellerus restituit, cum Institutionis editores hanc ipsam codicis Q. A scripturam reiecerint (etiam Radermacherus); cf. Muell. praef. p. LXXX.

‚a *securi* negat . . . . periculum' opponeret verba ‚*virgis* ne caederetur . . . . caveat', aptissime extulerit ‚a securi', Quintilianus, qui ad tempus verbi ‚negat' animum advertit, non habebat, cur ita efferret: immo vocem ‚negat' effert quaeque opponuntur ‚virgis ne caederetur . . .', omnino non affert.

Inst. vero VI 1,3 (= Verr. V 52,136) designat potius quam describit argumenti rationem: unde ne de ordine quidem verborum gravem testem putemus, qui tradit: ‚si pater ipse iudicaret' pro graviore ‚ipse pater si iudicaret'.[1])

Plures sunt loci, quibus codicum Q. probabimus scripturam. Incipiamus ab Inst. VI 3,56 = Caec. 10,27, ubi libri C. ‚est' exhibent ante ‚Phormio', codices Q. ante ‚ille' (A habet ‚est' in ras.); sed quia verbis quae afferuntur, praecedunt in eadem orationis paragrapho eadem illa verba ‚est Phormio', Quintiliani scripturam, qui tradit verborum ordinem minus solitum, praeferre non dubito, praesertim cum hic non minus aptam praebeat clausulam quam C. codices.

Cat. II 1,1 = Inst. IX 3,46 et 77 Fabius bis tradit ‚erupit evasit', cum in C. libris legamus ‚evasit erupit'.[2]) Ac re vera, quod apud Quintilianum paulo post legimus: ‚id (scil. ‚abundans super necessitatem oratio') cum auget aut manifestat sententiam, sicut hic, virtus', haud scio an magis augeatur sententia, si huius sequamur scripturam. Neque enim est gradatio in verbis

[1]) Ut hoc loco libros C. praetulimus, quia efferendam vocem primo ponunt loco, ita Verr. V 2,4 = Inst. IX 2,47, ubi C. libri ‚summo iure tecum' scribunt, ‚tecum iure summo' codices Q., horum codicum probabimus scripturam, quia efferenda voce tam apte claudunt enuntiatum.

[2]) Comparemus cum hoc loco Mil. 18,47 = Inst. IX 2,26; ‚liberatus sum, respiravi' tradunt Q. codices, ‚respiravi, liberatus sum' C. libri. Sed quoniam Fabius haec ipsa verba ita effert, non habemus, cur huius scripturam non probemus, praesertim cum, si sententiam respicias, illud ‚respiravi' aptius post ‚liberatus sum' legatur.

‚evasit erupit': est in verbis ‚erupit evasit'. Quid vero contra duo Quintiliani testimonia valet quod Isidorus consentit cum C. codicibus?

De verbis ‚forti viro potest accidere' agitur Cat. IV 2,3 = Inst. VI 3,109, ubi codex Q.: A tradit ‚accidere viro forti posse', G ‚viro forti accidere posse'; sed delicatiorem esse codicis A scripturam nemo negabit: ac facile intellegimus, quomodo ex hac et G codicis Q. et librorum C. scripturae ortae sint.[1])

Eandem diligentiam reliquis verbis huius loci tribuisse rhetorem et antea (p. 25) demonstrare studuimus et mox (p. 71 sq.) videbimus, unde etiam ‚viro forti' recipiemus pro usitatiore ‚forti viro'.[2])

Cluent. 21,58 = Inst. VI 3,40 exquisitiorem certe Fabius tradit ordinem verborum, qui exhibet ‚se putaret dicere', cum C. libri exhibeant ‚se dicere putaret.'[3])

[1]) Cf. Pis. 95: ‚quod accidere innocenti, quod forti, quod sapienti, quod bono viro et civi potest', Planc. 72: ‚nam id accidere nisi forti viro et . . . non potest', Phil. III 17: ‚quid enim accidere huic adulescenti potuit optatius . . .' Item Verr. V 56,145 = Inst. VIII 6,72, ubi C. libri tradunt ‚in isdem locis versata esse dicitur', neminem exquisitiorem Fabii scripturam, qui praebet ‚in isdem versata locis dicitur', in textum recepisse nonnihil miror.

[2]) De simili compositione iudicandum est nobis Verr. a. sec. I 46,121 = Inst. VI 3,55. Cum apud Quintilianum legamus ‚tam nequam verrem', C. libri tradunt ‚verrem tam nequam'. Sed non modo praecedentibus verbis ‚ius tam nequam esse verrinum' melius respondent ‚tam nequam verrem' quae verba ita composita etiam ipsius ioci causa praefero, sed etiam Rufiniani testimonio (p. 39 H.) confirmatur Quintiliani scriptura, cum iam Priscianus legerit apud Ciceronem ‚verrem tam nequam' (III 262 H.). Itaque antiquiorum testium sequamur scripturam.

[3]) At omittunt libri Q. verba ‚respicite dubios variosque casus': a voce ‚respicite' secundum repetita aberravit librarius ad eandem vocem tertium repetitam. Quod non multa saecula post Fabii aetatem factum esse testatur Rufinianus, qui ut aliis locis, ita etiam § 4 libelli sui Quintilianum adhibens eadem omittit verba quae Fabius.

leg. agr. II 5,13 = Inst. VIII 4,28 orationis illius Rullianae obscuritas non nihil augetur, si Quintiliani verborum ordinem retinemus, qui tradit ‚nescio quid illum de lege agraria voluisse dicere', cum libri C. exhibeant ‚de lege agraria nescio quid voluisse eum dicere'; quo loco pronomen ‚illum' aptius esse quam ‚eum' ipse senties.

Lig. 1,2 = Inst. VIII 5,13 ‚culpam ullam' legimus apud Quintilianum, ‚ullam culpam' in C. libris. Non persuasit Reedero Schoellius, cui[1]) verba ita composita, ut apud Fabium occurrunt, paulo graviora videntur quam ut composita sunt in C. libris. Quod negat Reederus, qui C. libros praefert, cum dicit[2]): ‚certis autem argumentis neque scriptoris neque codicum collocatio confirmari licet, nisi putaveris librorum fidem esse maiorem quam rhetoris saepe ex memoria citantis'. Quamquam causae desunt, ad memoriam tamen Fabii saepe errantem fugiens C. codicum praefert scripturam Reederus. Sed respiciamus oratoris verba: Nonne verbis ‚prius de *vestro delicto* confiteamini necesse est', multo melius respondent ‚quam *Ligarii culpam*' — et aptissime clauditur dictum his verbis — ‚ullam reprehendatis'[3]) quam ‚quam Ligarii ullam culpam reprehendatis'?

Sed non ‚delicto confiteamini', ut statim verba codicum C. corrigamus, tradit Fabius, sed ‚facto fateamini'. Quae rhetoris verba allitteratione quae dicitur, optime inter sese coniuncta manifestant varietatem dicendi, quia antecedit ‚confiteri', ‚confitendum', bis ‚confitentem', ita

Item omittunt libri Q., quibuscum consentit Rufinianus, ‚*C.*' ante ‚Fabricius'; et re vera tam est supervacaneum illud ‚*C.*', quia paulo ante legimus ‚C. Fabricii', ut codicum Q. scripturam certe non minus aptam praeferre non dubitem contra Cluent. editores.

[1]) l. c. p. 498.

[2]) l. c. p. 25.

[3]) plenius explicaverim oratorem tamquam dicere ‚*vestrum delictum:* hoc re vera exstat, hoc confiteamini necesse est; *Ligarii culpa:* nullam reprehendere poteritis.'

ut vel inde appareat hanc scripturam minime esse neglegendam. Qua in re Schoellio[1]) assentimur, cum sane locum Caec. 24 ab illo exempli gratia allatum suo iure reicere potuerit Reederus[2]). Quod vero de accommodatione verborum dicit hic contra Schoellii sententiam: ‚etsi per se fieri potuit, ut librarius vocem „fateri" verbo „confiteri" saepius iterato adsimularet, tamen hoc loco non est, cur eam rem re vera accidisse putemus'; num haec est refutatio?

Praeterea Schoellius ‚delictum' illud ex glossemate ortum esse contendit, sicut saepius apud Plautum inveniamus ‚malefacta' pro ‚facta'. Quod Reederus ita reicit, ut, etsi illud verum esse apud Plautum libenter concedit, apud Ciceronem idem valere non iam demonstratum esse affirmet. Sed non modo hoc illi obiciamus re vera mirum esse, si apud Plautum quidem verbum ‚factum' explicaverunt atque id saepius, apud alium auctorem non explicaverunt. Omnio vero quam non raro apud Ciceronem inveniantur huiusmodi glossemata, in hac ipsa commentatione saepius vidimus. Accedit vero, quod vix ulla vox, ut ita dicam, indiguit explicatione simili modo quo hoc ‚factum', quae vox re vera est tam dubia. Neque igitur mirum est quod tam multas explicationes invenimus huius vocabuli. Ut alio loco ad ‚facta' adscripserunt ‚fortia facta', alio ad ‚factum' ‚facinus', ‚commissum', ita etiam hoc loco tam dubiam vocem explicatam esse quid videatur magis consentaneum? Iterum Reederus ad memoriam fugit Quintiliani.

Quod vero obicit Reederus alterum exemplum huius verborum attractionis apud Tullium non inveniri, respondebimus ei, ut hic pro ‚factum' a grammaticis ‚delictum' scriptum esse verisimile sit, ita aliis quoque locis ut simili modo verba mutarentur, facillime potuisse fieri. —

ib. 3,9 = Inst. VIII 4,27; VIII 6,12; IX 2,7 et 38; XI 3,166 ne Clarkium quidem illam Quintiliani collocationem verborum ‚tuus ille, Tubero, destrictus', cum C. libri praebeant ‚Tubero, tuus ille destrictus' in textum recepisse certe mirum est, postquam Schoellius eam proposuit[1]) atque apte illustravit, Luterbacherus, Reederus[2]) probaverunt.

1) l. c. p. 498.
2) l. c. p. 28 sqq.

ib. 12,35 = Inst. VI 3,108 tradunt libri C. ‚qui oblivisci nihil soles nisi iniurias', ‚qui nihil soles oblivisci nisi iniurias' Fabius. Utraque scriptura ferri potest. Cum vero Reedero[3]) Lactantii testimonium, qui Divin. Instit. VI 18 § 34 praebet eandem horum verborum collocationem atque libri C., sufficiat ad reiciendam Quintiliani scripturam, nos de sententia quoque ac vi verborum pauca dicamus. Si legas ‚qui nihil soles oblivisci nisi iniurias', clarius effertur verborum sententia: effert orator Caesaris ingenium eiusmodi esse, ut omnino nihil oblivisci possit, cum dicit ‚nihil soles oblivisci', scil. verba tam superba nulloque additamento egentia; aptissime tamen adiungit alteram sententiam, qua laudet illum: iniuriarum vero oblivisci solere, cum addit ‚nisi iniurias'. Imminuitur autem, si legas ‚qui oblivisci nihil soles nisi iniurias', illa prior sententia, quae sententia sola verborum conexui respondet. Itaque quod multo aptius atque apertius summa effertur rei, si Q. sequamur codices, antiquioris testis praetulerim scripturam.

Mil. 2,5 = Inst. VIII 6,48 nonnihil gravior fit oratio, si Quintiliani verborum collocationem ‚Miloni putavi esse subeundas' praeferamus usitatiori C. librorum confirmatae teste, qui quinto p. Chr. n. saeculo vixit, Pompeio (V 306 K.) ‚putavi Miloni esse subeundas'.

At quod IX 3,77 praebet Fabius ‚non modo ad salutem eius exstinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam', cum in C. libris in his verbis primo loco positum sit ‚ad eius', nimia illa dili-

1) l. c. p. 492 adn. 2.
2) l. c. p. 24.
3) l. c. p. 25.

gentia, qua *haec* verba composita sunt, est grammatici, non oratoris.[1])

Cum vero Mur. 9,22 = Inst. IX 2,100; IX 3,32 et 33 apud Fabium IX 2,100 (non IX 3,32) pro ‚eo *quo in*tendit' scripserint ‚eo *quo con*tendit' librarii, et IX 3,32 (non IX 2,100) ‚exsuscitant' pro ‚exsuscitat', apud Ciceronem verborum ordinem mutaverunt, cum scriberent ‚tui consultores' (ut antea ‚tuis consultoribus') pro ‚consultores tui', quod exhibent Q. libri. Nam probandam esse horum codicum scripturam ex toto loco apparet: ‚*te gallorum, illum bucinarum . . . . ; tu actionem, ille aciem . . . . , tu* caveas *ne consultores* tui . . . . , *ille ne urbes* . . . . capiantur'; si vero legas ‚tui consultores', ut scripserunt Muellerus, Landgrafius, Clarkius, vis verborum tam apte compositorum imminuitur.

Phil. II 25,63 = Inst. IX 4,29 et 107, ubi tradunt libri C.: ‚in populi Romani conspectu', hanc scripturam fortasse exquisitiorem putet quispiam quam quod exhibent duobus locis Q. codices: ‚in conspectu populi Romani'. Sed vereor, ne nimis exquisitum sit illud: scil. ita compositum ab homine quodam, qui cum ante legisset ‚in Hippiae nuptiis', genuinam perturbaret verborum collocationem. Itaque illum verborum ordinem, quem leg. agr. I 3,7 servatum invenimus in C. quoque codicibus, probaverim contra orationis editores; quamquam etiam illa scriptura ferri potest.

ib. 27,67 = Inst. VIII 4,25 insequitur in C. libris vocem ‚lectos' participium ‚stratos', quod antecedit illi substantivo apud Fabium. Sed quem Q. codices praebent verborum ordinem, ideo contra orationis editores praetulerim, ne quae inter se coniungenda sunt

[1]) Q. codices ut hoc loco ita ceteris quoque locis, ubi voce ‚exstinguo' utitur rhetor, omittunt litteram ‚s'; item codices C: TE; ubique enim in his codicibus deesse ‚s' post ‚x' ante ‚p' et ‚t' Baiterus docet (ad Planc. 2, p. 1103); sed ut praestantissimus quisque C. codex illam litteram raro omittit, ita ipsum oratorem ‚exstinguere' scripsisse putaverim (cf. Brambachium l. c. p. 280).

verba ‚conchyliatis Cn. Pompei peristromatis' et ‚stratos' moleste disiungantur. —

Etsi Inst. IX 3,86 = Quinct. 25,78 in Q. codicibus non est integer qui affertur locus — tradit A ‚ut solus videatur dignus esse videtur qui non accedat', G ‚ut solus videatur dignus esse qui scaenam introeat solus videatur qui non accedat', — nonnulla tamen etiam ex hoc tamquam inquinato fonte possumus haurire. Primum quidem consentiunt inter sese codices Q. de hoc ordine verborum: ‚solus videatur dignus esse', qui re vera aptior est quam codicum C.: ‚solus dignus videatur esse';[1]) deinde ex codicis A scriptura hoc colligi potest: posteriore loco scriptum fuisse ‚dignus esse videatur', cum C. libri praebeant ‚dignus videatur'; ita ut verbis ‚ut solus videatur dignus esse qui' apud Quintilianum aptissime respondeant verba ‚ut solus dignus esse videatur . . .'. Confirmatur haec scriptura quodam modo Augustini testimonio, qui de consensu evang. I cap. 33, ubi affert hunc locum, pro ‚esse videatur' ‚esset' scribens eodem modo quo rhetor utroque loco eadem verba exhibet.

Inst. vero IX 3,43 ‚facere Cleomenes potuit' tradunt libri Q., cum C. libri exhibeant Verr. V 41,107 ‚potuit Cleomenes facere'. Sed etsi utraque scriptura ferri potest, quia neque hic neque ille verborum ordo congruit cum eo ordine quem priore loco tenent haec verba,[2]) Quintiliani tamen scripturam praetulerim, quia apud hunc efferenda vox apte in fine enuntiati est posita.

Tam certum iudicium ferre quis audebit Verr. a. sec. I 42,109 = Inst. V 10,76, ubi tradunt Q. libri ‚praetoris edicto', C. codices ‚edicto praetoris'? Ut horum

[1]) Cf. Pis. 39: ‚te videri pudentiorem fuisse', Mil. 59: ‚quia videbatur indignum esse', ubi similia verba eodem ordine sunt composita. —

[2]) ‚nam non esse puto, cur non probemus Meisteri coniecturam, qui scribit ‚sententia quidem repetitur *sed non eodem* verborum ordine'.

scriptura Martiani testimonio, qui (468 H.) affert haec verba, confirmatur, ita illorum scriptura ea de causa non est neglegenda, quia non tam usitatus est hic eorum verborum ordo;

neque minus difficile erit de hac duorum substantivorum compositione iudicare, quam invenimus ib. 30,76 = Inst. IV 2,114. Quae tradunt libri C. verba ,pater de filii morte, de patris filius', apud Quintilianum non minus apte composita sunt hoc modo: , ... patrem de morte filii, filium de patris'. Quo loco editores Fabii testimonium reiecisse eo minus mirum est, quia notavit tantum, non exscripsit locum.

b) Ipsa verba, quae afferuntur, alia sunt hic, alia illic.

1. Primum quidem saepius vocem aliquam tradit Fabius, quam non legimus in libris C. Sunt quidam inter eos locos, ubi meliorem scripturam exhibeant libri C.

Lig. 1,3 = Inst. IV 2,110. Quod ,Q. Ligarius' tradunt libri Q., illud ,Q.' errori Fabii tribuerim; neque enim praenomen illud, quod omittunt C. codices, hoc orationis loco est aptum.[1])

Contra Phil. II 27,67 = Inst. VIII 6,70; XII 10,62 haud scio an quis ex Quintiliano corrigendam putet codicum C. scripturam; legimus enim XII 10,62 ,Oceanus me dius fidius ipse'. Aptissimum est ,ipse' pronomen, si totius loci sententiam respicias: ,Charybdin[2]) dico? Immo *ipse* Oceanus vix videtur tot res tam cito

[1]) De Laubmanni adnot. vide Schoellium l. c. p. 493 adn.

[2]) Cum V exhibeat ,Charybd*im*', b ,caribd*im*', codex Q: A tradit ,Charybd*in*', quae forma confirmatur C. codice t, Clarkii codic. c n l, cum B, item Senecae codices illam libri V praebeant scripturam. Sed non modo omnino rarior est in huiusmodi vocibus graeca terminatio (cf. Neue-Wag. I³ p. 321,479), sed etiam delicatior; quam formam servatam non har. resp. 27,59, sed. Verr. V 56,146 et Fabii testimonio (vulgata quidem lectione!) et ipsis C. codicibus Lag. 27 et 29, recte praetulerunt apud Quintilianum Meisterus, apud Ciceronem Clarkius.

absorbere potuisse'. Sed cum VIII 6,70, ubi totus locus affertur, ipse Quintilianus cum C. libris omnibus ac Seneca omittat ,ipse', plus valet hic consensus quam locus posterior, ubi verba profert abrupta. —

Transeamus ad eos locos, ubi Fabius praebet praeferendam scripturam. Primum commemorem

Cael. 15,36 = Inst. VIII 3,22, ubi libri Q. tradunt ,pusio qui cum maiore . . .', cum ,qui' omittant C. codices. Sed nonne multo magis efferuntur extrema verba, si post verba ,qui propter nescio quam timiditatem et nocturnos quosdam inanis metus tecum semper', de integro incipit orator: ,pusio qui cum maiore sorore cubitabat' pro ,qui pusio cum m. s. c.'?[1]) Praeterea per hanc ipsam vocem fortasse aptius adiciuntur verba ,cum maiore sorore' praegressae voci ,tecum'. Tam exquisitam igitur Quintiliani scripturam ut reiciam, nullo modo facere possum.

Cat. I 9,22 = Inst. IX 3,62 aptissimum exquisitoque verborum ordine comprobatum ,unquam', quod in C. libris non legimus, iam diu ex Quintiliano in textum orationis receperunt editores praeter Clarkium.

ib. 11,27 = Inst. IX 2,32 Isidori testimonium afferunt editores C. non consentientis cum Quintiliano, qui tradit ,sic loquatur', cum codices C. omittant ,sic'; sed cum tradat ille ,loqueretur dicens', hoc ipso testimonio non refutatur, sed confirmatur librorum Q. scriptura; nam pro ,sic', quod legit, scripsit ,dicens' Isidorus. Neque minus aptum est ,sic loquatur' hoc loco quam § 18: ,quae tecum, Catilina, sic agit et quodam modo tacita loquitur' ac praecipue Cael. 34: ,qui profecto si exstiterit, sic aget et sic loquetur . . .'. Recte igitur Eberhardus secutus est Quintilianum.

Lig. 12,38 = Inst. VIII 5,7; IX 4,107. Ne de hac quidem re assentiri possumus Reedero, qui[2]) rhe-

[1]) Neque enim recte inter ,pusio' et ,qui' distinxisse mihi videntur editores.

[2]) l. c. p. 28.

torem falso nomen ,Caesar' adiecisse censet[1]), quod non solum omnes codices, ut dicit, sed etiam ipsa loci natura demonstret, quia in exitu Marcellinae et Deiotarianae Caesaris nomen non sine praenomine positum sit. Sed num inde quod illis locis sententiae respondet illud ,C. Caesar', concludi potest ne hoc quidem loco ,C.' omittendum esse? Immo, si sententiam respicias, verbis familiariter dictis ,nihil habet .... nec fortuna tua maius, quam ut possis, nec natura melius quam ut velis servare quam plurimos' bene respondet familiare illud ,Caesar' omisso praenomine; quam Fabii scripturam eo magis probabimus, quia paulo ante legimus illud ,C. Caesar'.

Aptissime vero, postquam iam pluribus verbis admonuit illum: ,nihil est tam populare .....; nulla de virtutibus tuis .....; homines enim ad deos ..... hominibus dando', de integro ad illius personam vertit orationem atque illum adloquitur Cicero, cum dicit ,nihil habet, Caesar, nec fortuna tua . .' et quae sequuntur; quae verba omissa voce ,Caesar' nescio an quid languidi habeant.

Mil. 16,41 = Inst. V 14,3 tradunt libri Q. ,cum periculo capitis', cum C. codices omittant ,cum'. Qui vero scribendum sit, difficile est diiudicatu, quia

1) Facere non possum, quin conferam cum hoc loco Lig. 2,4 = Inst. IV 2,51 et 110, ubi item Q. libri exhibent ,Caesar', item Reedero (l. c. p. 26) displicet haec scriptura; tradunt enim C. libri ,C. Caesar'. Facile ex haplographia illud ,C.' omitti potuit; neque vero minus facile ante ,*C*aesar' inseri potuit, praesertim cum in initio orationis legamus ,C. Caesar'. Cum vero Reederus C. codicum auctoritate fretus illud ita praeferat, ut hoc ne afferat quidem, alterum confirmatur minus eo quod XI 3,108 et 110 in primis orationis verbis afferendis cum libris C. exhibent ,C. Caesar' etiam omnes codices Q., quam eo quod, cum illic gravius illud ,C. Caesar' peraptum sit, hoc loco (§ 4) certe non magis idoneum est quam paulo post (§ 6); immo fortasse molestum videtur, si legas: ,*C.* Caesar, *Q.* Ligarius . .'.

Ceterum recte Radermacherus IV 2,110 scribit ,«nullum» ad bellum' ex P et IV 2,51.

Caec. 24 legimus ,periculo: capitis ne accederes obstiti', Sex. Rosc. 5: ,qui minimo periculo possem dicere', dom. 66: ,quibuscum cum ego noluissem bonorum periculo dimicare', ita ut librorum C. scriptura optime defendi posse videatur; Quintilianum tamen sequendum putaverim, non tam quod nonnulla huius quoque dictionis exstant exempla velut Verr. II 99: ,mea festinatio fuit cum periculo capitis', Flacc. 2, ib. 65 etc., quam quia eodem modo quo verba ,iure', ,loco', ,tempore', ,impune' — ,iniuria', ,iniquo loco', ,alieno tempore' non arte cum verbo coniuncta sunt, haec quoque verba ,periculo capitis' ita ex verbo ,occidere' suspendere dubito.

Non minus probanda erit codicum Q. scriptura Mur. 9,21 = Inst. V 13,27: quod contra C. libros ,tam' exhibent ante ,longo intervallo', cum post verba ,afueris *tam* diu, et cum' intercidisse videatur haec vocula in illis; sed quamvis repetitio eius hoc loco non sit inepta, tamen non receperunt hanc scripturam Mur. editores.[1])

ib. 13,29 = Inst. IX 3,36 ,est' omittunt C. libri; sed quamquam utraque ferri potest scriptura, praeclara tamen codicum Q. verba, in quibus ,est' conspicuo loco positum est, adeo non ex neglegentia sive ipsius Fabii sive librarii nata videntur, ut non recte orat. editores reiecisse existimem.

Phil. II 25,63 omittunt coniunctionem ,et' post verba ,inter cenam' libri C.; contra exhibent eam Inst. VIII 4,10 omnes Q. codices, cum Inst. V 10,99 B consentiant cum libris C. Sed quia A hoc loco tradit ,et illis' nempe effectum ex ,et in illis', quid aliud ex duplici codicis A, ex simplici codicum B testimonio coniciemus quam ipsum Fabium legisse illud ,et' apud Ciceronem?[2])

1) Contra aptissime ex codicum Q. scriptura, cum post ,tam di*u*' ,*u*t' praebeant C. libri, ,et' scripserunt Muellerus, Landgrafius, Clarkius.

2) Item restituendum est ,et' ante ,perturbat' Mur. 17,35 = Inst. VIII 6,49 ex Q. codicibus A G, cum in C. libris, quos secuti sunt editores, interciderit ,*et*' post ,saep*e*'. Tam singularis enim compositio neque librarii est neque interpolatoris.

Quae sententia confirmatur quodam modo non solum Arusiani scriptura, qui praebet ,atque ipsis . .', sed etiam ipsius Fabii verbis, qui VIII 4,9 de ,amplificatione' dicit, quae ,per comparationem' facta ,incrementum ex minoribus petit. Augendo enim, quod est infra, necesse est extollat id, quod superpositum est'. Nonne gravior atque apertior fiet comparatio, si minora illa per vocem ,et' diviseris? [1]) Itaque de hac re codices Q. praeferendos putaverim libris C.; atque eo facilius etiam codicis V auctoritatem hoc loco neglegemus, quia hic quoque ut reliqui libri C. excepto b tradit ,diceret', cum b itemque libri Q. omnes exhibeant ,duceret', quae scriptura insigni quodam modo confirmatur Inst. IX 4,107 sq., ubi fusius de clausula, quae est in verbis ,turpe d*u*ceret', agit Fabius.

,Earum rerum' legimus porro Inst. IX 2,61, cum Verr. IV 3,5 omittant ,rerum' libri C. Illud optime refertur ad ,aenea . . . signa' etc., hoc non minus apte ad ,Canephorae ipsae . . .'. Num ipse Quintilianus, ne offendamus in voce ,earum' satis obscura praecedentibus verbis non additis, illud ,rerum' addidit? Sed totum illum Institutionis locum perlegas, quem quin afferam, facere non possum: ,„sed earum rerum . . . esse dicebant". quod quidem non in hoc tantum valet [2]). quibusdam enim, dum aliud agere videmur, aliud efficimus, sicut hic Cicero consequitur *ne, cum morbum in signis atque tabulis obiciat Verri, ipse quoque* **earum rerum** *studiosus esse credatur*'. Quomodo, quaero, apertius suam sententiam ostendere potuit orator, quam cum pro ,earum' scil. ,Canephorarum' tam contemptim dicebat ,earum rerum', quasi non dignae sint illae, quas ipse accurate noverit? In C. vero codicibus post ,ea*rum*' intercidisse ,rerum' vix miraberis. Prorsus eodem modo pergit Cicero , . . . haec (non ,has') visere solebat . . . haec ad visendum patebant . . .'. —

[1]) Male vero Institutionis editores neglecto posteriore illo loco omittunt V 10,99 voculam ,et' servatam in A.

[2]) Verba facit rhetor de ,imitatione morum alienorum'.

2. Vocem aliquam detrahit Fabius ex contextu librorum C.

Cluent. 1,4 = Inst. IX 3,81. Omittit Fabius priorem vocem ,est', quam exhibent libri C.; ac re vera inepta est repetita vox, cum quae Fabius tradit, tam stricte sint composita, ut huius scripturam praeferre contra C. editores non dubitem, praesertim cum etiam illud ,*no*n *no*stri ingenii' aptius sit quam ,non est nostri ingenii', quamquam illam quoque scripturam ferri posse non nego. [1])

ib. 2,5 = Inst. IX 3,85, ubi cum C. libris *Mμ* contra $b^2\psi^2a$ recte ,ponatur' exhibent, omittunt libri Q. ,in iudiciis', quae verba exhibent C. codices ante ,et sine invidia', ac recte omittunt; praecedunt enim verba ,illa definitio *iudiciorum* aequorum . . . , ut . . .', ita ut supervacanea illa verba cum Faussetio delenda censeam.

ib. 60,166 = Inst. IX 2,48 ,pluribus verbis' praebent C. codices, ,pluribus' Q. libri. Cum utraque locutio ferri possit (cf. Sex. Rosc. 123, Cluent. 87, ib. 115, Verr. a. sec. I 135, ib. 148), Fabii tamen scripturam exquisitiorem haud iniuria praetulisse mihi videtur Faussetius.

Mil. 3,8 = Inst. V 11,16 ,aut' omittit Fabius ante ,Ahala' contra C. libros: ac re vera melius

[1]) De eodem verbo agitur Mur. 9,22 = Inst. IX 2,100; IX 3,32 et 33. Tradunt codices Q: AG ,exercitatus' omisso ,est'. Ut vero ceteris verbis ,instituis', ,instruit', ,caves', ,tenet', ,scit' respondeat et hoc loco apta verbi forma, librarius archetypi C. librorum ,est' videtur inseruisse. Neque enim genuinam hanc vocem putaverim; immo varietatem dicendi servandam esse censeo, praesertim cum accuratissime tot verba afferat Fabius.

Utrum vero cum Clarkio plurimisque C. codicibus scribendum sit ,tuque in regendis', quae verba clausulam praebent non malam, an cum Muellero, Landgrafio omnibusque Q. libris, quibuscum consentit C. codex ω, ,tu in r.' diiudicare non audeo.

Singularem autem illam compositionem verborum ,ille tenet et scit' nec tamen inauditam (cf. Sex. Rosc. 125 ,non enim novi nec scio'), atque aptissime comprobatam codicibus Q., quos neglexit, delere voluisse Muellerum, cum includeret ,et scit', valde miror.

abest ac facile inseri potuit ex insequentibus ‚*aut* P. Nasica *aut* L. Opimius (*aut* C. Marius: cf. p. 9 adn.) *aut* . . .‘: neque enim distinguitur inter singulos, sed cumulantur exempla.

ib. 3,9 = Inst. V 14,18.[1]) ‚Ad hominem occidendum‘ omittunt codices Q: quam omissionem non librario tribuerim, quia Inst. V 14,35 quoque occurrit; itaque ipse Fabius non legit, qui tot verba huius loci recte exscripsit. Nam si legamus: ‚Quod si . . . . . interfici impune voluerunt, quis est qui, quoquo modo quis interfectum sit, puniendum[2]) putet, cum videat aliquando gladium nobis ab ipsis porrigi legibus‘, facile supplemus ‚ad puniendum‘, vel ‚ad interficiendum‘. Interpolatoris igitur esse illa verba censuerim, praesertim cum antecedat § 7 ‚hominem occisum‘, § 8 ‚homine occiso‘, insequantur vero verba ‚Atqui si tempus est ullum iure hominis necandi‘. Denique confirmatur Quintiliani scriptura Diomedis testimonio, qui (I 469 K.) tradit ‚gladium nobis ab ipsis porrigi legibus.‘ Quod vero Fabius V 14,35 scripsit ‚gladium nobis interim . . .‘ pro ‚aliquando nobis gladium‘, sententiam illic comprehendit, non ipsa verba affert.

[1]) Quod contra libros Q. plurimosque C. codices HBΣ exhibent ‚defender*it*‘, cf. de hac scriptura Madvigium in opusc. acad.[2] p. 382.

[2]) ‚poeniendum‘ tradit A (ut videtur); ac Fabium, cum si non laudat verba alicuius scriptoris, semper forma ‚p*u*nire‘ utatur (cf. Inst. III 6,74; IV 2,69), in Cicerone afferendo alteram formam posuisse apparet etiam ex IX 3,6 (= Mil. 13,33), ubi praestantissimi codices Q. ‚poenitus‘ tradunt, a ‚punitus‘. Cum vero in republ. III 15 (cf. Corssenium I[2] p. 703) ‚p*oe*nire‘ praebeat codex ille palimpsestus, in orationibus plurimum non consentiunt inter se libri C., ex quibus T saepius (cf. Lig. §§ 19,85) exhibet antiquiorem scripturam praelatam Peyronio, Baitero, Kaysero, item G (Mur. 67). Cum igitur ex codicibus C. nihil certi de hac re colligere liecat, illo tamen Quintiliani usu, qui confirmatur quibusdam C. libris, reici videtur Landgrafii dubitatio, qui (in Bursiani annal. a 1896, II p. 82) vix putat illa forma Ciceronem usum esse.

Mur. 2,4 = Inst. V 11,23 omittunt libri Q. verba ‚rei publicae‘ insertas inter ‚maximas‘ et ‚tempestates‘. Sed etsi verba ‚maximas rei publicae tempestates‘ per se nihil praebent offensionis, minime tamen opus fuit Ciceroni ‚collationem‘ illam interrumpere verbis ‚rei publicae‘, quia de quibus tempestatibus agatur, ex antecedentibus verbis dilucide apparet. Simili modo cum de se ipso dicit orator ‚me . . . prope iam ex magna iactatione terram videntem‘, num dubitare potuit quisquam quin de illis verba faceret Tullius temporibus quibus rem publicam administraverat? Accuratissime vero tot verba affert hoc quoque loco Fabius; itaque assentior Kaysero qui olim[1]) haec verba delenda censuit tanquam inserta a librario.

Transeamus ad Phil. II 25,63 = Inst. V 10,99; VIII 4,10, ubi exhibent libri editionesque C. ‚in ipsis tuis immanibus illis poculis‘ (g t ‚in ipsis tuis manibus in illis‘, a ‚in ipsis inmanibus in tuis illis‘); sed tria illa pronomina ita composita molesta sunt, quae nunquam apud Tullium hoc modo coniuncta occurrunt (legimus aut ‚ipse tuus‘ aut ‚ipse ille‘); quo accedit, ut[2]) per vocem ‚ipsis‘ sententia ab hoc loco aliena inferatur atque omnino duae sententiae (‚in *ipsis tuis*‘ et ‚*immanibus illis*‘) coniungantur. Itaque Q. codicum scripturam probaverim, qui tradunt[3]) ‚in illis inmanibus[4]) poculis tuis‘ et V

[1]) p. 1448 ed. Or.

[2]) Conferas velim ea quae attulit Merguetius exempla II p. 754 et a. l.

[3]) — nam quod B *bis* tradunt ‚in illis‘ V 10,99, non VIII 4,10, hoc ex ‚in ipsis illis‘ effectum esse vix recte Halmius coniecit, praesertim cum neque Q. codex A neque ulli C. codices illa verba praebeant ita coniuncta; immo in tali verborum compositione, qualis est haec: ‚*in* illis *in*manibus . . .‘, facile ex dittographia illam scripturam oriri potuisse quis non concedat? —

[4]) Cum grammatici primi p. Chr. n. saeculi scribant ‚*im*manis‘ (cf. Plin. ap. Prisc. I 39 = II 31 K., Quint. I 7,8), antiquiorem tamen formam, quae usitata erat Ciceronis temporibus, eo magis servandam esse putaverim, quia tot exstant testimonia illius scripturae; velut tradunt libri Q., ut videtur, hoc loco ‚*in*manibus‘,

10,99 et VIII 4,10. Contra quem duplicem codicum Q. consensum quid valet Arusiani testimonium, qui tradit (VII 482 K.) minus, ut vidimus, apte ‚ipsis tuis immanibus poculis' om. ‚illis'? Etsi in hoc saltem confirmat Fabii scripturam, quod neuter inter ‚immanibus' et ‚poculis' vocem ullam inserit. Ceterum verborum ordinem tradit ille non eum, quem libri Q. et priore et posteriore loco, sed eundem quem libri C: scil. verba ‚hoc tibi' exhibet ante ‚accidisset', cum apud Quintilianum fortasse melius bis legamus ante ‚inter cenam'.

Verr. a. sec. I 30,76 = Inst. XI 3,162 vereor, ne verba ‚et grave', quae post ‚acerbum et miserum' non augent sed imminuunt sententiae vim, inserta sint in C. codicibus a librario quodam, qui tam arte coniunxerit ‚spectaculum acerbum et miserum' (cf. Verr. V 100 ‚o spectaculum miserum atque acerbum'), ut alio adiectivo insuper opus esse videretur ei, ex quo penderet dativus ille. Atque quod verbum hoc loco magis est idoneum ad huiusmodi verborum compositionem efficiendam quam tritissimum illud ‚grave'? Minime vero constructio verborum, quae apud Fabium legimus, ullo

quae scriptura confirmatur C. codice a; item Verr. V 109 ipsi C. codices VR bis tradunt ‚*in*mani'. Itaque cum Clarkius semper praeferat adsimulatam litteram, recte Muellerus illo loco scribit ‚*in*mani', minus recte hoc loco ‚*im*manibus'.

Cum vero Clarkius scribat Cat. I 11,27 ‚*im*missus', idem Muellerus, hic scribit Phil. II 91 ‚*in*misisti', quia VD hoc tradunt, Verr. a. sec. I 142 ‚*in*mittes', quo loco etiam palimpsestus Vaticanus exhibet hoc, atque id recte; contra minus recte Verr. a. sec. I 78 ‚*im*mitterentur', quem locum non exhibet pal. Vat.; eodem modo Verr. III 84 ‚*im*mitteret', ib. IV 47 vero ‚*in*mittebantur', ibid. 101 ‚*in*mittere' (ex R). Itaque cum Muellerus nimis accurate praeferat eam semper formam, quam unoquoque loco optimi tradunt codices C., Clarkium in malam partem sibi constitisse iudicabimus. Quamquam ne hic quidem vir semper adsimulatae litterae ita favet nunc, ut favit antea: qui, cum in priore sua (Oxford. 1895) Milonianae editione scripserit § 98 ‚ommutescet', formam Mario Victorino sane probatam (VI 19 K.), nunc idem praebet atque ceteri editores: ‚obmutescet'.

modo est dura: quam saepius invenimus ut Verr. V 92 ‚o tempus miserum atque acerbum provinciae Siciliae'. Quam argumentationem si minus probes, conferas tamen velim Cat. I 3, ubi post ‚vehemens' optimi codices A V omittunt ‚et grave' (s. v. habet C)! Ex glossis porro haec afferre liceat mihi: ‚acerbus **δεινός, χαλεπός**', ‚miser **χαλεπός**', ‚vehemens **δυνατός**'. Neque igitur ita reiecerim librorum Q. scripturam, ut reiecerunt orationis editores.

Verr. V 5,10 in C. libris legimus ‚praedam exspectatis aliquam' (‚spectatis' optimi libri), cum Inst. IX 2,22 tradant libri Q: ‚praedam aliquam' (A ‚praeda aliqua'). Sed verborum conexum si respicias, nonne concedis verbis ‚nolite usque quaque idem quaerere' multo aptius graviusque praegredi *interrogationem* ‚furtum fortasse aut praedam aliquam?' quam enuntiationem ‚furtum fortasse aut praedam exspectatis aliquam', ut scribunt editores C.? Tum quae sequuntur verba, a voce ‚sed' vel ‚verum' vel simili vocula incipere debuerunt. Accedit quod, si animum advertas ad causam, qua adductus affert Fabius haec, ferri vix possunt ea, quae tradunt libri C.; cum enim de ‚communicatione' verba facit rhetor, hoc dicit: ‚nonnunquam communicantes aliquid *inexspectatum subiungimus,* quod et per se schema est, ut in Verrem Cicero: „quid deinde . . . ": deinde, cum diu suspendisset iudicum animos, subiecit . . . .'. Itaque illud ‚exspectatis' vel ‚spectatis' delendum censeo, quia insertum videtur a librario quodam, qui nesciret, quo referrentur accusativi illi ‚furtum' et ‚praedam' [1]); sed non difficile est cognitu: conferas Phil. XII 7: ‚quid municipia censetis? quid colonias? quid cunctam Italiam? futuram eodem studio . . . .'; atque ut illo Phil. XII loco ad ‚municipia' supplemus ‚factura esse', ita hoc Verr. V loco supplemus ad ‚furtum fortasse' ‚factum esse'.

[1]) quod eo facilius fieri potuit, quia paulo post legimus ‚etiam nunc mihi *exspectare* videmini, iudices, quid deinde factum sit, . . . *exspectare* facinus . . . vincam tamen *exspectationem* omnium'.

Verr. V 45,118 = Inst. IX 4,71, ubi ,tibi cibum' scripserunt Halmius, Eberhardus ex palimpsesti Vaticani scriptura, Muellerus ceteros libros secutus scripsit ,cibum tibi'. Sed re vera tam est supervacaneum illud ,tibi', ut secluserit Kayserus, deleverit Jordanus, atque id recte: exhibent enim libri Q. aptissime: ,ut cibum vestitumque . . .' om. ,tibi'. Prorsus eodem modo legimus paulo ante in eadem paragrapho: ,nisi ut . . . excipere liceret', non legimus ,nisi ut *sibi* . . . liceret'.

Cui loco addere liceat mihi Verr. V 2,4 = Inst. IX 2,47, ubi orationis editores ex librorum C. scriptura scribunt ,dicam id quod': num minus aptum est ,dicam quod' codicum Q.? Quorum testimonium ea de causa grave habendum est, quia cetera verba huius loci tam praeclare tradit Quintilianus contra C. libros.

3. In ipsa voce vocisve forma exstant discrepantiae. C. librorum scripturam recte praetulerunt orationis editores

Cluent. 4,11 = Inst. IV 1,79, ubi C. libri praebent ,petant', cum ,repetant' exhibeant codices Q. scripturam usitatiorem,[1]) qua simul efficitur clausula rarissima; item

Mur. 9,21 = Inst. V 13,27,[2]) ubi Q. codices tradunt ,ann*is*' (= ,inter annos'), cum gravius sit ,ann*os*' (= ,per annos') codicum C.; neque vero recte Muellerus et Landgrafius distinxerunt inter ,annos' et ,forum', quia reprehendit adversarius, quod ille omnino fuerit apud exercitum;[3]) praeterea autem molestissima sunt in hoc verborum conexu ,forum non attigeris' non addito tempore; contra Q. editoribus et Clarkio assentiamur,

[1]) Cf. Cluent. 58, Caec. 10. — Ceterum in voce ,intellegetis' contra C. codices formam tradunt inscriptionibus confirmatam (cf. Corssenium II² p. 418) libri Q.

[2]) quo loco etiam ,quot' codicis Q.: A antecedente voce ,inquit' effectum summo iure reiecerunt.

[3]) Quod si non ita se haberet, causa non esset Tullio, cur insequentibus verbis rei militaris virtutem ita praedicaret.

qui coniungunt verba ,tot annos forum non attigeris'; postremo

Verr. V 17,44 = Inst. IX 3,34, ubi codices Q.: AG exhibent ,et ipsa', cum C. libri tradant ,ipsa quoque'; nam quia apud Ciceronem nullo loco ,et ipse' positum est pro ,ipse quoque',[1]) suae aetatis usum dicendi hoc loco Ciceroni tribuisse videtur Quintilianus.

Contra Q. libri meliorem praebere videntur scripturam hisce locis:

Caec. 16,45 = Inst. V 10,93, ubi ,sat est' legimus apud Quintilianum (i. e. idem quod Cael. 37 in C. libris), cum ,satis est' tradant C. codices; sed quia sequuntur verba ,non est *satis*', praetulerim Fabii scripturam, ne eadem forma bis exhibeatur.[2])

Idem scribit Inst. VI 3,109 totum locum ex voce ,dixit' suspendens ,gravem mortem', cum in libris C. Cat. IV 2,3 legamus ,turpis mors'; sed nonne illud multo est delicatius? Nam turpem mortem forti viro accidere non posse consentaneum est: sed ne gravis quidem mors potest accidere. Praedixerat enim orator, si quid obtigisset, *aequo animo paratoque* se moriturum esse; atque est aequi animi non gravem existimare mortem. Ac re vera praeferrent Richterus — Eberhardus Quintiliani scripturam, nisi, ut legimus in eorum editione, his verbis idem fere designaretur atque verbis ,misera sapienti'. Sed num idem est ,gravis mors' id est ,ein harter, schwerlastender Tod' (— neque gravem ducit mortem vir *fortis* —), atque ,misera mors' id est ,ein kuemmerlicher, klaeglicher Tod' (— neque miseram ducit vir *sapiens* —)? Immo prorsus aliam rem significant haec verba, aliam illa. Quare reiciendum putaverim illud ,turpis'; accedit enim, quod facilius fieri potuisse iudi-

[1]) Cf. Landgrafium ad Sex. Rosc. 48, praeterea Naegelsbachium (Lat. Stil.) ⁸ p. 366 adn.

[2]) Utrum vero Cael. 16,38 = Inst. VIII 4,1 scribendum sit ,si qu*is*', ut tradunt libri C., an ,si qu*i*', ut scribunt Q. libri AB (idem Bg IX 2,15 = Cael. 17,39, ubi codices C. quoque: PE tradunt ,si qu*i*'), quis est, qui diiudicare audeat?

cabimus, ut interpolatores verbis ‚viro *forti*' tritissimum illud ‚*turpis* mors' opponerent quam rarius illud ‚*gravis* mors'.

Difficilius est diiudicatu, utrum Cluent. 60,167 = Inst. IX 3,37 [1]) cum C. libris scribendum sit ‚deinde', an cum Q. codicibus ‚porro'; ut enim, quia antecedit ‚per quem *porro* datum', propter varietatem dicendi non neglegendum est illud ‚deinde', quod praetulerunt C. editores, ita ipsa illa repetitio vocis ‚porro', quam saepius verbo ‚deinde' explicatam esse glossae docent, aptissima est hoc loco, ut vocis ‚autem' quoque repetitio; accedit vero, quod ipsa verba ‚quae *p*orro interceptio *p*oculi' non librario aut Fabii memoriae erranti tribuerim, sed ipsi Tullio.

Quod vero Lig. 2,4 = Inst. IV 2,51 et 110, ubi Quintilianus praebet ‚culpa caret', C. libri (excepto codice C, de cuius scriptura vide Schoellium) ‚culpa vacat', Schoellio praeferenti [2]) Fabii scripturam non modo propter Ciceronis usum dicendi (cf. Tusc. V 4), sed etiam propter allitterationem, quae fit praegresso verbo ‚culpa', cum ostendat quam facile illa codicum C. scriptura oriri potuerit, Reederus Luterbacherum secutus obicit,[3]) quod solum obicere potest, Ciceronem elegisse inusitatam vocem, quae varietur cum sequentibus verbis ‚carent crimine', primum quidem tantum inter se distant initium et finis huius paragraphi, ut in repetitione vix offendat quisquam, nisi qui animum praecipue ad haec ipsa verba adverterit. Si vero putes adeo efferri ob sententiam verborum hos locos, ut eos, qui legunt, mirari verisimile sit repetitionem eiusdem vocabuli, non iniuria obiciat quispiam graviorem fieri hac ipsa repetitione sententiam verborum, si legas ‚*adhuc* . . . Q. Ligarius omni culpa *caret* . . . (sed etiam *sequenti tempore* . . . ergo) *haec duo tempora carent* crimine'. Itaque contra

1) Non recte affert Clarkius: ‚3 „porro"] „deinde" Quintil.'; immo fuit adnotandum: ‚4 „deinde"] „porro" Quintil.'.
2) l. c. p. 497 adn. 2.
3) l. c. p. 30.

Quintiliani scripturam nihil proferri posse videmus nisi codicum C. auctoritatem, cui favet Reederus.[1])

Mil. 11,30 = Inst. IV 4,2 codices Q.: AB et Victor tradunt ‚si ut', cum librorum editionumque C. alteri praebeant ‚sicut', alteri ‚sicuti'. Consentit vero cum Q. libris schol. Bob. Tam mirum consensum num recte reiecerunt Mil. editores? Primum quidem qua de causa ita confirmat Cicero vera ea esse, quae exposuerit? Immo vereor ne molesta sit haec affirmatio, praesertim cum paulo ante contenderit ‚dicam enim aperte . . . ut factum est'. Deinde vero nonne putas oratorem audientibus magis persuasisse se recte illud iudicare, si hac usus est ‚collectione' [2]) necessario ex rebus effici (= haec si ut exposui, gesta sunt) insidiatorem superatum esse, vi victam vim etc., quam si affirmavit tantum rem re vera ita se habere, insidiatorem superatum esse etc.? Recte igitur apud Quintilianum quidem praeferenda scriptura nunc est restituta.

Quae cum ita sint, vocem ‚ita', quam ante ‚gesta' praebent libri C. et schol. Bob., non praebent libri Q. (AB) et Victor, maxime supervacaneam delendam censeo. Ceterum hoc vitium in libros C. prius illatum esse quam illud videmus ex ipso schol. Bob. testimonio. —

Tam bene autem Mur. 13,29 = Inst. VIII 3,79 apud Fabium verbis ‚ut aiunt in *Graecis* artificibus *eos* . . .' respondet ‚sic *nos* videmus . . . *eos*', ut codicum C. illud ‚nonnullos' pro ‚nos' positum, quod ineptissimum est, recte reiecerint scripturamque Quintiliani receperint post alios Muellerus, Landgrafius, Clarkius.

Pluribus disputandum est de Mur. 17,35 = Inst. VIII 6,49. Ad quem orationis locum postquam iam Halmius adnotavit: ‚ex his lectionibus diversis verisimile fit ali-

1) Quod vero codices Q. tradunt IV 2,110 ‚suspicionem belli', ut libri C., IV 2,51 vero ‚belli suspicionem', utra praeferenda sit scriptura, ex clausulae ratione apparet, ita ut librarium verborum ordinem IV 2,51 non recte mutasse assentiamur Reedero (l. c. p. 16).
2) cf. quae ipse dicat Fabius.

quid turbatum esse in codicibus Tullianis et fortasse veram esse lectionem quam servavit Quintilianus', ne Landgrafium, ne Clarkium quidem huius scripturam sequi valde miror. Tradunt enim codices Q.: ,quem' ante ,Euripum', quod sane omnes probaverunt, cum C. libri inepte ,quod' exhibeant; sed iidem codices Q., cum ex C. libris praebeant ψ^2 ,agitationes quos fluctus', ceteri ,agitationesque (,que' om. πφω) fluctuum', scribunt ,agitationes, commutationes, fluctus'. Sed neque verba ,agitationes fluctuum' neque ,commutationes fluctuum' a Ciceronis genere dicendi non sunt aliena. Immo vero ,mentis agitatio' legimus, vel ,maria agitata ventis' de nat. deor. II 26, scil. maria quae alio tempore tranquilla sunt;[1]) sed *voce ,fluctus' apud Ciceronem semper,* praecipue in huiusmodi verborum compositione, *continetur sententia turbationis.*[2]) At ,commutatio fluctuum' id est ,der Wechsel, die Veraenderung der Fluten', dicitur quam ineptissime.[3]) Cum igitur Muelleri, Landgrafii, Clarkii reiciamus scripturam, qui praebent ,agitationes commutationesque fluctuum', sequemur codices Q.

Aptissimam autem vocem ,unus', quam praebent hi post ,dies intermissus' contra C. libros, probatam Luterbachero[4]) neque Muellerum neque Clarkium recepisse mirum est.

Praeterea cum C. libri praebeant ineptissime ,commutata aura rumores' (Σ ,commutata vestrarum mores'), veram editoribusque C. probatam scripturam exhibent codices Q., cum scribunt ,commutat aura rumoris'.

Tam egregie servatus est totus hic locus apud Quintilianum, tam male in libris C., ut etiam de hac re illum sequi non dubitem: quod ,creditis' tradit pro ,putatis'.

1) cf. Cluent. 138: ,ut *mare*, quod *natura sua tranquillum* sit, ventorum vi agitari atque turbari . . . .';
2) velut Sex. Rosc. 72, Sest. 73.
3) cf. dom. 4, Sest. 42, Tusc. I 68.
4) l. c. (1905), p. 253.

Cf. quae p. 30 adn. de simili discrepantia ad Mil. 27,72 monuimus.

Haud minus Tullii verba corrupta videntur in C. libris Rab. perd. 6,18 = Inst. XI 3,169. Tradunt illi ,quin continetis vocem indicem stultitiae vestrae, testem paucitatis'. Mira atque invidiosa verba! Ad quirites enim, apud quos habita est haec oratio, necessario referendum est illud ,vestrae'. Immo potius de qua voce, de qua indice stultitiae agitur? Paulo ante ipse orator affirmat: ,Nihil me *clamor* **iste** commovet, sed consolatur, cum *indicat* esse quosdam civis imperitos, sed non multos'. Et conferamus Quintiliani scripturam, qui tradit: ,quin conpescitis *vocem istam, indicem* stultitiae, testem paucitatis'. Mirum certe videretur non iam diu editores ineptissima illa codicum C. verba correxisse, nisi intellegeremus, qua de causa retinerent illorum scripturam. Nam legerunt ibi: ,Nunquam, mihi credite, populus Romanus hic, qui silet, consulem me fecisset, si *vestro* clamore perturbatum iri arbitraretur'. Huiusmodi verbis Ciceronem eos, apud quos loquitur, offendisse re vera putas? Quod vero contra affers vocem ,credite' ad eos referri, qui ,istum clamorem' tollunt, ex quibus verbis, quaeso, ullo modo conici potest oratorem non iam omnes sed paucos, quos dicit ,imperitos civis', appellare? Immo vero quirites appellat Cicero ut tota in hac oratione, cum dicit ,credite', ,continetis': quomodo pro ,vocem vestram', ex qua scriptura apud Rufinianum (de fig. sent. § 33) servata fluxisse illud codicum C. nemo non videt, scribendum esse demonstravimus ,vocem istam' ex Quintiliani scriptura, eodem pro ,vestro clamore' scribemus ,isto clamore'. Quod si fecerimus, toto hoc loco nihil erit apertius.

Sed praeterea pro ,continetis' exhibet Quintilianus ,conpescitis', quam vocem exquisitam librarium quendam explicasse usitata voce vel per se verisimillimum est[1]); accedunt vero ipsius rhetoris de ipso illo verbo dicta:

1) Cf. in gloss. Abav. (Goetz IV p. 321) ,compescere coarguere continere'.

,est his diversa vox et plane extra organum, cui Graeci nomen amaritudinis dederunt, super modum ac paene naturam vocis humanae acerba „quin conpescitis .... paucitatis" '. Quae si reputaveris tecum, editores orationis non recte sprevisse Fabii scripturam concedes.

Contra utraque scriptura ferri posse videtur div. Caec. 13,41 = Inst. XI 1,44, sive cum libris C. scribimus ,toto corpore' sive cum Q. ,corpore ipso'. Sed non modo apud Quintilianum verbis ,*animo* commoveri' multo aptius opponuntur ,*corpore ipso* perhorrescere' quam in codicibus C. verbis ,commoveor *animo*' verba ,*toto corpore* perhorresco', sed etiam ipsa verba, si sententiam respicias, multo magis sunt decora: nam male decebat oratorem confiteri: ,cum illius mihi temporis venit in mentem, ... non solum commoveor animo, sed etiam *toto corpore perhorresco*'; hoc certe nimium est neque dignum Cicerone.

Haud minus difficile primo quidem videtur esse certum ferre iudicium Verr. V 44,116 = Inst. IX 2,57, ubi ,ne multa' tradunt C. libri, cum ,quid plura?' exhibeat Q. ,ex memoria' ut arguit Halmius. Sed etsi utraque locutio ferri potest, tamen quia multo saepius invenimus in orationibus illam[1]) quam hanc[2]), exquisitiorem, ut videtur, Quintiliani scripturam probaverim, praesertim cum paulo ante legamus ipsa illa verba ,ne multa' § 114, unde iterum adscripta inferri potuerunt in contextum[3]).

Ib. 44,117 = Inst. VIII 4,19; IX 2,51 tradunt C. libri ,ne condemnaretur', ,ne securi feriretur' Q. codices. Sed totum locum apud Fabium respicias velim, qui dicit: ,quid? cum res atrocissimas quasque in summam ipsi extulimus invidiam, elevamus consulto, quo graviora videantur quae secutura sunt, ut a Cicerone factum est, cum illa diceret „levia sunt haec .... usitatum est". nonne usus est ratiocinatione, qua colligerent audientes, quantum illud esset, quod inferebatur, cui comparata *haec viderentur humana atque usitata?*' Primum quidem Cicero, cum antea nullo modo condemnationem in invidiam extulerit, extulit in invidiam caedem illam, quae fit per securim, cum diceret: ,a securi negat ...' etc. Deinde num putas condemnationem hoc loco referri posse ad res atrocissimas quasque? At optime caedes illa. Praeterea ne hoc quidem neglegas: ex ultimis Fabii verbis, quae attulimus, colligendum esse rem minime usitatam commemorasse oratorem. Verum quid erat usitatius Romae quam homines ne condemnarentur, pecuniam dare? Accedit, quod imminutio, non gradatio est, si verbis ,metum *virgarum* ..... redemit' respondent verba ,ne condemnaretur', cum optime respondeant ,ne securi feriretur'. Sed unde factum sit quaeras, ut pro ,securi feriretur' scriberetur ,condemnaretur'? Quia corrector ille, ut priorem acerbam rem illam recte ad Phalacrum, ita posteriorem rem falso ad nauarchos rettulit, quos condemnatos esse antea (§ 114) legit[1]).

Cum vero Verr. V 56,145 codices C. tradant ,nautis', apud Quintilianum legimus Inst. VIII 6,72 ,navibus'. Sed etsi utraque scriptura optime ferri potest, tamen quia vetus illud monstrum totas naves absorbere solitum est, quod miraculum tam saepe efferunt scriptores[2]), fortasse illam Fabii scripturam praeferendam esse censeat quispiam. Atque confirmatur haec sententia quodam modo ipsius Ciceronis verbis, qui dicit: ,iste in omnia maria *infestus imminebat: quaecunque navis* ex Asia ... venerat, statim tenebatur.' Quo accedit, quod multo graviora sunt oratoris verba, si profert Verrem etiam multo magis quam Charybdin totas *naves* absorbere solitum esse. Meliorem igitur iudicaverim hanc codicum Q. scripturam.[3])

[1]) Verr. a. sec. I 140; III 62; IV 32 et 85; V 114; Cluent. 47 et 180.

[2]) Verr. V 169; Phil. VIII 5.

[3]) Male igitur Halmius suspicatus est Fabium ,ex memoria' pro ,ne multa' scripsisse ,quid plura?'.

[1]) Etiam in ipsa § 117 commemorantur ,condemnati'.

[2]) Cf., ut unum afferam exemplum, Ov. Metam. VII 63 ,*ratibus*que inimica Charybdis'.

[3]) Zielinskii sententia, qui verba ,non enim Charybdim ... arbitror' apud Ciceronem delenda censet, refutatur vel hoc Fabii testimonio.

Contra certum ferre iudicium non audeo hisce locis:

Cluent. 35,96 = Inst. VIII 3,51, ubi repetitione illa verborum, quam praebent codices C: ‚non fuit . . . . non fuit', magis fortasse effertur sententia, quam idoneum est, cum Fabii verbis *‚non solum* . . . . . non fuit' apte respondeant verba *‚vis illa* fuit et . . . . .'; item

ib. 53,146 = Inst. V 11,25 ubi ‚ita' tradit Quintilianus, ‚sic' codices C. Diligenter enim locum ab ipso Fabio laudatum, bene in codicibus Q. servatum esse inde apparet, quod voculam ‚ut' ante ‚nervis' non omittunt libri Q., cum omittant C. libri ΣB s, quod tradunt ‚nervis *ac* sanguine et membris', quam scripturam propter sententiam verborum ita coniunctorum recte praetulit Clarkius, cum ipse P tradat ‚*et* sanguine'[1]); postremo

Lig. 1,2 = Inst. VIII 5,13, ubi ‚quare' exhibent Q., ‚itaque' C. libri[2]); certis enim argumentis rhetoris scripturam confirmari non posse assentimur Reedero[3]); sed addamus codicum C. scripturam certe non magis comprobari posse. Quare non recte Reederus hunc locum in illis ponit, quibus, ut dicit, ‚Schoellius rhetori haud scio an nimis fidei tribuerit'.

[1]) Male vero Hartmannus (Mnemos. N.S. 22, 1894, p. 426) verba ‚ut nervis et sanguine et membris' delere voluit neglecto Fabii testimonio.

[2]) Cf. Schoellium l. c. p. 498.

[3]) qui de hac scripturarum discrepantia dicit l. c. p. 28. —

Hactenus de locis accurate laudatis. Ut permultos ex his locis examinatis cepimus fructus, ita ex iis, quos addamus illis, vereor ne vix ullos capiat quisquam scil. ex *locis minus accurate laudatis:*

Caec.	13,37	= Inst.	V	10,68.
Cluent.	36,98	= Inst.	V	10,108.
Mil.	3,7	= Inst.	IV	2,25.
ib.	10,28	= Inst.	V	10,50.
Phil. IX	1,3	= Inst.	III	8,5.
div. Caec.	1,1	= Inst.	IV	1,49.
Verr. IV	43,95	= Inst.	VI	3,55.
ib.	55,123	= Inst.	V	11,7.
Verr. V	3,7	= Inst.	IV	2,17.
ib.	52,136	= Inst.	VI	1,3.

Quibus locis, ut enumerationem locorum ex orationibus allatorum perficiam, adicere liceat mihi eos Institutionis locos, quibus hic vel ille orationum locus ita designatur, ut omnino *nulla vox accurate afferatur.* Commemorandi sunt hi loci:

Arch.	8,19	= Inst.	V	11,25.
Cael.	1	= Inst.	IV	1,31 et 39.
	ibid.	= Inst.	IX	2,39.
ib.	1 et 3	= Inst.	XI	1,68.
ib.	2 sqq.	= Inst.	IV	2,27.
ib.	14 sqq.	= Inst.	III	8,54; XII 10,61.
ib.	29,69	= Inst.	VI	3,25.
Cat. I	11,27	= Inst.	XII	10,61.[1])

[1]) Corrupta sane tradunt libri Q. haec verba: ‚hic orator et defunctos excitabit ut Appium Caecum, apud hunc et patria ipsa exclamabit aliquandoque Ciceronem in oratione contra Catilinam in senatu adloquetur'. Intercidisse aliquid inter ‚aliquan-

Cat. III 9,21	= Inst. V 11,42.		
Cluent. 1,1	= Inst. IX 4,133.		
ib. 20 sqq.	= Inst. IV 2,19;	VI 1,41.	
ib. 26	= Inst. IV 2,107.		
ib. 40,111	= Inst. V 13,39.		
ib. 42,117	= Inst. IV 1,75.		
ib. 48,134	= Inst. V 11,13.		
ib. 52	= Inst. IV 5,20;	V 13,42.	
ib. 60,167	= Inst. V 7,37.		
ib. 60,168	= Inst. V 13,15.		
leg. agr. II 5,13	= Inst. V 13,38.		
Lig. 3,9	= Inst. V 13,31.		
ib. 6,19	= Inst. V 11,42.		
Mil. 5	= Inst. V 2,1.		
ib. 7,17	= Inst. V 10,41.		
ib. 14	= Inst. VII 2,43.		
ib. 20	= Inst. V 10,37.		
ib. 32	= Inst. IX 2,41.		
Mur. 3,7	= Inst. IV 1,75.		
ib. 37,79	= Inst. VI 1,35.		
Rab. perd. 6,18	= Inst. VII 1,16.		
ib. 9	= Inst. VI 1,49.		
Rab. Post. 1 sqq.	= Inst. IV 1,46.		
ib. 2	= Inst. IX 2,17.		
Sex. Rosc. 22	= Inst. IV 2,3 et 19.		
ib. 22 sqq.	= Inst. IX 2,53.		

doque' et ,Ciceronem' quis non sentiat? Neque igitur iniuria Q. editores ,ut' inseruerunt illo loco ex Obrechti coniectura. Sed deest accusativus ad quem referatur illud ,*ut* Ciceronem'. Quamquam aptissimum illud ,aliquandoque' delere adeo nolim, ut neque R. Stephani coniecturam, qui scripsit ,aliquemque ut apud' (cum voce ,apud' sententia inepte commutetur) neque ed. Leid. probem scripturam, in quo legimus ,aliquemque ut'. Sed non difficilis est hic locus correctu. Neque enim, si ita scribamus ,aliquandoque «aliquem ut» Ciceronem' verba tantum efficiuntur perapta, sed etiam librarii cur omiserint illa, facile intellegimus.

Recte vero Halmius, cum Meisterus satis miro modo § 17 designari putet, ad § 27 rettulit verba, quia hoc, non illo loco Ciceronem adloquitur patria.

div. Caec. 12,40	= Inst. XI 1,20.		
ib. 14,45	= Inst. IV 5,24.		
Verr. a. pr. 15	= Inst. IV 1,20.		
ibid.	= Inst. VI 1,13.		
Verr. a. sec. I 30	= Inst. VI 1,54.		
Verr. II 1	= Inst. III 7,27.		
Verr. IV 48	= Inst. III 7,27.		
ibid.	= Inst. IV 2,19;	IX 4,127.	
Verr. V 10	= Inst. IV 2,18.[1]		
ib. 45 et 53	= Inst. VI 1,54.		
ib. 62 sqq.	= Inst. IV 2,113.		
ib. 72	= Inst. VI 1,3.		

[1]) Halmius Meisterusque in indice falso scribunt IV 3,18.

Quam saepe meliorem praebeat Fabius scripturam, quam saepe C. codicum corrigenda sit scriptura, vidimus. Neque enim ab ullo, quem novimus, C. libro derivandae sunt neque possunt derivari Fabii scripturae: si omnino consentit, *modo cum hoc modo cum illo consentit libro C.*, non cum uno quodam semper libro aut cum una tantum codicum familia, qua ipsa re etiam gravius fit rhetoris testimonium: in Ligariana, in qua una oratione accuratius inquisitum est in hanc rem, a Reedero scil., non assentimur huic viro, qui [1]) postquam tractavit locos huius orationis a Fabio allatos, contendit apparere Quintilianum in exemplis ex Ligariana afferendis ex eodem fonte pendere, ex quo prima familia ducta sit, atque cum sola α classe certo quodam vinculo iunctum esse. Cum enim tribus locis cum α ita congruat, ut β scriptura reicienda videatur, uno loco cum β conspirat, quo loco probavimus hunc consensum, duobus locis cum quibusdam codicibus γ classis, ubi tertiae familiae haud repudiandum est testimonium; [2]) quid igitur aliud relinquitur nisi ut putemus Quintilianum orationum exemplari usum esse, quod scriptum sit, antequam duae codicum classes sunt discernendae, aut, si iam tum exstabat illa codicum discrepantia — quam tamen iam tum fuisse minus putaverim, — ex libro descriptum sit, qui neutri

[1]) l. c. p. 31 sqq.

[2]) Praeter § 6 etiam § 15, ubi γ et Quintil. VIII 3,85 ‚per te, per te, inquam' praebent, cum α et β ‚per te, inquam' exhibeant; quo loco tertiae familiae scripturam ex librarii coniectura ortam esse vix recte putat Reederus p. 14. Vel ex his duobus locis apparet non satis argumentis confirmari huius viri sententiam, qui ibi affirmat dubium esse iam non posse, quin tertia γ classis omnino indigna sit, quae in crisi exercenda respiciatur.

harum familiarum sit attribuendus: ex integriore fonte hausisse Fabius videtur.

Quod si ex illis, quos cum Quintiliano correximus locis alios corrigere velis, ubi non exstat tam grave testimonium, agendum erit quam cautissime pro illa dicendi varietate, quam Ciceronis esse tam saepe videre licet, quamquam ad hos corrigendos permulta ex illis nos discere confiteor. Nam etsi ex apta locorum compositione facilius rectiusque de eis iudicium ferri posse non iniuria putamus, nullam tamen regulam esse intelleges, ex qua statim affirmari liceat de hac re Quintilianum meliorem esse testem, de illa C. libros sequendos esse; immo in unoquoque loco inquirendum atque investigandum est, quid verum esse videatur.

Nos vero, si profecimus aliquid ad contextum orationum C. rectius constituendum, quod studuimus assequi, sumus assecuti.

Index locorum.

VITA.

Natus sum Fridericus Emlein a. s. praeterlapsi LXXXVI Idibus Maiis Loerraci patre Friderico, matre Carlotta e gente Dreikorn, quibus valde gaudeo adhuc superstitibus. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum rudimentis Loerraci imbutus gymnasium Friburgense per septem, Caroliruhense per duos annos frequentavi. Maturitatis testimonio instructus autumno quarti h. s. anni Heidelbergam me contuli, ut per tres annos philologicis studiis operam navarem. Docuerunt me viri doctissimi Brandt, Braune, Cartellieri, Dieterich, de Duhn, Lefmann, Marcks, Schoell, Suetterlin, Thode, Uhlig, de Waldberg, Windelband. Proseminarii philologici Heidelbergensis per duo, seminarii per tria semestria sodalis fui. Ad exercitationes archaeologicas de Duhn, historicas Cartellieri, germanicas de Waldberg benigne me admiserunt. Quibus viris omnibus gratias refero quam maximas, prae ceteris vero Friderico Schoell, quem in hac quaestione de Quintiliani testimoniis facienda multis locis liberalissime me adiuvisse gratissimo animo hoc loco profiteri mihi liceat, et Albrechto Dieterich, cuius ex scholis haud minus amplos cepi fructus.